# LATITUDINARIUS ORTHODOXUS.

I. In Genere, de Fide in Religione Naturali, Mosaica & Christiana.

II. In Particulari, de Christianæ Religionis Mysteriis,

SANCTA TRINITATE.
CHRISTI INCARNATIONE.
CORPORIS RESURRECTIONE.
COENA DOMINICA.

Accesserunt VINDICLÆ Libertatis Christianæ, Ecclesiæ Anglicanæ, & ARTHURI BURY, S.T.P. contrà ineptias & calumnias *P. Jurieu.*

---

Jurieu Lettre Pastorale II.

*9. On introduisit une fausse idée de l'Eglise & de son Unité, par laquelle on mit hors de la Communion de Jesus Christ, non seulement les Heretiques errans dans le Fondement, mais toutes les Societéz le moins du monde entachées d'erreur. Ce qui à produit tant de sanglantes Divisions, tant d'Anathemes, d'injustes Excommunications, de Haines, & de Querelles*

---

*LONDINI:* Impensis *Sam. Buckley*, ad Insigne *Delphini* è regione Ecclesiæ Divi *Dunstani*, in Fleetstreet. 1697.


MVSEVM
BRITAN
NICVM

# INDEX.

## CAPUT I.



## CAP. II.



## CAP. III.

---

# PARS SECUNDA.

## CAPUT. I.

# PRÆFATIO
## AD
## LECTOREM.



*Eligionem Christianam, quæ tantis tamque properis victoriis de oppositis mundi potentiis ita triumphârat, ut tam Regum potentissimi quam Philosophorum eruditissimi, rudibus piscatoribus manus dederint; à multis jam sæculis adeò nullos progressus fecisse, ut de provincis suis amplissimis pulsa sit; Objiciunt Infideles, Dolent Pii, Mirantur Omnes.*

*Si autem infælicia illa Sæcula à Primævis non minus* Moribus & Doctrinis *quam* Successibus *defecerint: Si Ovina Simplicitas & Caritas ita in Caninam*

*rabiem degenerârit, ut inverso Domini effato dici posset,* Hinc *Christianos* dignoscunt omnes quod se invicem non diligant, *sed dilanient: Si per ducennales de Doctrinis contentiones, quid* Credendum *esset nescirent, quid* Agendum *non curarent; ac arrepta inde occasione* Mahometes, *Reformatoris personam induerit; & eatenus non inscitè sustinuerit, quatenus prohibitis de Religione disputationibus,* Christi & Apostolorum *præcepta vindicaret: adoranda certè est Providentia illa, quæ remedio morbum significavit, & Christianæ Caritatis injurias pacifici impostoris gladio vindicavit.*

*Si tantis* Orientalium *cladibus monita* Ecclesia Romana, *à perniciosa ista disputacitate adeo non destiterit, ut novos indies & arbitrarios fidei articulos, pari importunitate credulis obtruserit, & sævitiâ in dissentientibus vindicaverit; quis jam eandem Providentiam incusaverit, si majora crimina majoribus suppliciis ulta sit? Ea autem fuit benignitas divina, ut Ecclesiæ sic corruptæ, non hostes, sed medicos; non* Mahometem, *sed* Lutherum Calvi-

Calvinum, *aliosque Reformatores adhiberet.*

*Si jam Religionis sic Reformatæ Professores pessimam illam Caritatis pestem ita retineant; ut eodem spiritu agantur hinc* Calviniani, *quo illinc* Dominicani; *quid magis metuendum, quam ne erecti jam in libertatem animi, Christianitati ipsi tanquam incertæ & incendiariæ renuncient?*

*Ea certè semper fuit humani generis temeritas, ut instans malum fugiens in contrarium ruat:* Veritati *interim, sicut* Virtuti, *idem in* Medio *locus; quem cum in hac lite occupet* Religio Latitudinaria *dicta, libello nupero* (La Religion du Latitudinaire) *ita oppugnatur, ut olim* Sobrietas *à* Lacedæmoniis, *ebriorum servorum ebrietate.*

*Ni cordato Lectori molesta forent emetica, librum istum eadem intentione illi commendatum vellem; jam autem mitto toties sine modo aut methodo repetitas ineptias, quæque alia M.* Jurieu *propria; nil aliud refutatione dignum judicans, præter communem toti Sectæ, & essenti-*

*alem*

*alem ipsi Hæresi* malignitatem; *quæ in se quanta sit, author iste hisce verbis profitetur.* Moribundus ultima sua officia vertati reddet & concludet, servans integritatem & odium quo semper flagravit contra Hæresin, & particulatim contta Latitudinariam. Singulare est operum suorum primum & ultimum contra illos esse.

Singulare *revera, imò* Prodigiosum *hoc esse docet* Epist. Provinc. undecima, *cujus ad calcem errores recenset novem, tertio sæculo in Ecclesiam invectos: ultimum his verbis explodit.* Falsam introduxerunt Ecclesiæ & ejus unionis ideam, qua communione Ecclesiæ excluserunt, non solum Hæreticos de fundamentis errantes, sed omnes societates, errore vel levissimo maculatas; Quod tot divisiones cruentas, tot anathemato, excommunicationes injustas, odia, & contentiones produxit. *Quibus in verbis Confitetur, imo Profitetur, egregius noster* Latitudinariorum *Adversarius (dicam an Advocatus.)*

1. Eccle-

1. Eccleſiarum primævarum patrocinium (*de quo tanquam veritatis teſſera inter omnes omnium dogmatum propugnatores contenditur*) *penes* Latitudinarios *eſſe*.

2. Falſam habere Eccleſiæ ideam *quiſquis ejus communione jure excidiſſe credat, erroribus non Fundamentalibus maculatos*.

3. *Rigorem illum* tertio demum ſœculo *in Eccleſiam introductum*, Innovationem *fuiſſe perniciociſſimam*.

*Quid jam tantis evidentiarum momentis à ſe prolatis opponit? Rationem perſecutorum ultimam in* Saurinum *his verbis intorquet*, Imploro omnium eorum auxilium quibus commiſſa eſt confeſſionum fidei noſtrarum conſervatio, ut à falſo hoc & temerario Doctore ſupplicium ſpectabile ſumant. Si impunem dimittamus, &c.

*Perſecutionem ſcilicet in* Gallia *fugit*, *in* Belgio *excitat*; *& quam in ſcriptis, eandem in moribus repugnantiam oſtentat. Et hic etiam antiquum obtinet, ita enim ſe (novum Herculem) in cunis de* Latitudinario *victoriam reportaſſe gloriatur*, circiter viginti quinque aut triginta re-

tro annis liber prodiit intitulatus *Reunio Christianismi* per Ministrum Salmuriensem compositus, *M. Jurieu*, quem destinavit deus objectum odii illius sectæ, opus illud refutavit, & illud * primum ejus tentamen fuit. ---- Author per Synodum Salmuriensem depositus fuit.

* *Son coup d'Essay.*

*Sic, quod in se contraxerat, odium destinationi divinæ imputat, cujus insuper auspiciis, invisæ illius sectæ se æque victorem ac odium fore confidens, novos in* Belgio *triumphos ambit. At (proh illi dolor!) malignitatem suam in* Belgium *transferre potuit*, Synodum autem Salmuriensem *non potuit: sed re ibi eum* Saurino *infeliciter gesta, solamen ab* Anglia *accersit. Ecclesiam scilicet illam* Latitudinarios *non tolerare è rebus ab* Episcopo Exoniense *contra* Arthurum Bury *scelestissimum Latitudinarium, narratione æque Falsa, Maligna, ac à re Alienâ, jactitat. Et historiola illa imaginaria adeo oblectatus videtur, ut unico illius propagandæ pruritu ad librum, cætera inanem scribendum incitatus sit. In illo enim adeo benignius cum* (Saurino) *adversario, quam*

*secum*

*ſecum egit, ut ejus dogmata Propoſuerit tantum, nullis argumentorum umbris Oppugnarit: ſed (demptis contumeliis) omnes alias præciderit reſponſiones, præter antiquam illam,* Dic aliquid cui contradicam.

*Non tamen uſquequaque deſunt contradicendi vel Materia vel Magiſter, Argumentorum enim Defectus Odiorum Exceſſu abunde ſuppletur; quibus quomodo occurrendum ſit, optimè docet in Contradictionibus exercitatiſſimus* Odiorum Profeſſor.

*Duplicem ſcilicet exhibet* Eccleſiæ & ejus unionis ideam, *Alteram primævæ, ducentis ampliùs annis conſpicuæ, & à ſe, tacitè quidem, ſed ſatis luculenter laudatæ; Alteram, tertio demum ſæculo deformatæ.*

Eccleſia primæva *ovile fuit, coloribus forſan differentium, ſed ſimplicitate & amore mutuo concordium, alma illa matre ſinu ſuo omnes fovente. At* ſæculo tertio, *Indulgentia Materna ad pauculos contracta, odio Novercali in plurimos ſævitum: in Minimis errantes, licet in Maximis fideles, familia exturbantur, & ſuccedentibus ſæculis, novorum dogmatum*

*cumque eis novarum contentionis occaſionum diurno acceſſu, aucta corruptione, ovina primævæ Eccleſiæ Simplicitas & Caritas in Caninam tandem Rabiem degenerârunt.*

*Hæ ſunt diverſarum Eccleſiarum, & adverſarum partium* Ideæ, *ab ipſo* M. Jurieu *in miniatura quidem, ſed ad vivum delineatæ. Contra* Epiſcopum Meldenſem *ſcriptitanti*, Primitivæ Eccleſiæ *planè* Latitudinariæ, *cujus jam odio ſemper flagraſſe gloriatur, forma pulcherrima:* Sæculi tertii *ſeveritas in majus aucta, apud* Eccleſiam Romanam *execranda, apud* Calvinianam *ſummo rigore exercenda. Quiſquamne illum in alios* odio flagrare *miretur, qui ſecum acerrimè* pugnat?

*Non tamen ſemper; Utcunque enim in Dogmatibus ſibi ſæpiùs contradicat, in perpetua tamen animi Malignitate ſibi conſtat. Trucem Religionem (ſi modo Religio audire mereatur) armis congruis propugnat, & characterem, id farinæ Theologis à nuperrimo, vere Chriſtiano, authore inuſtum complet* *Bellum minus crude-

liter

* *Judicium Perſ. diſintereſſat ep.* 61.

liter gerunt Tartari quam Eccleſiaſtici. Siquem ex ordine noſtro erroris accuſemus utcunque eruditum & benemeritum, non libenter deſiſtimus, dum panem vel bonam famam ei relinquimus: Opprobriorum & Infamationum nec menſura nec finis; tandem etiam, ſi poſſumus, privamus.

*Ego autem* Religionem Pacificam *ſi eiſdem armis propugnarem, hac ſaltem ex parte mihimet ipſi magis repugnarem, quam ille ſibi; eoque maxime, quod nullis oppoſitionibus religionem ſpectantibus laceſſitus, privatas lites rebus ſanctis immiſcere viderer.*

Calumniarum *ergo vindiciis ad operis calcem, Authore* Anticyras *relegatis, animadverſionibus polemicis omiſſis; quum* Rectum ſit index ſui & obliqui, *Religionem* Latitudinariam *non niſi placido* Syſtemate *defendam.*

Syſtemate *inquam, non autem per* Enantioſim *ſic dicto, qualia ſunt* Pſeudo-orthodoxorum : Corpora *ſcilicet partibus male* cohærentibus, *aliquando ne* conſiſtentibus *quidem* Aggregata ; *ſed* Membris *&* *firmiter invicem connexis*

 *compoſito,*

*composito, & sacræ scripturæ authoritate animato.*

Systemate, *non autem Angusticordium more, tanquam Orthodoxiæ tessera, rigidè omnibus imposito: Hoc enim nil aliud esset quam mihi contradicere: quum hæc specifica sit* Latitudinariorum *ab* Angicordibus *differentia, quod* Hi *eâdem semper Orbitâ præcedentium Vestigia premant;* Illi, *eadem* Viâ, *sed diversis sæpe* Semitis, *in* Generalibus *consentientes, in* Particularibus *dissentientes, amicè coeant.*

*Imo ne ipse quidem omnia à me dicta confidenter Assero, sed nonnulla, tanquam Tuta & Probabilia, ita Propono ut superiorum sententiis submittam.*

*Sed hoc maximè ago, ut inter Fidei* Necessitatem *&* Libertatem *figantur limites; ne in Necessariis consentientibus, in aliis tutò dissentientibus, desit Caritas maximè necessaria; sed Anilis jam & Pseudo-orthodoxis invisa* Ecclesiæ idea, *ad primævam suam pulchritudinem redeat.*

Fidei *sane omnia tribuerunt &* Christus *&* *ejus* Apostoli. *Disertè affirmat* Paulus *nos* Fide sine Operibus justificari

cari, *at æque disertè negat in* Christo quicquam valere præter Fidem per Amorem operantem; *&* Johannes *affirmat* hanc esse victoriam qua mundum vincimus, nempe Fidem nostram. *Uterque, Fidei & Labores assignat & Victorias, at* Morales, *non* Metaphysicas: *edomanda Monstra, at* Libidinum, *ut subigamus; non* Absurditatum, *ut credamus. Hisce Fidei Victoriis nil magis obstat, quam perniciocissimus pariter & frequentissimus Theologorum error, zelum suum à* Caritate *ad* Orthodoxiam *transferentium. Nec quicquam B.* Pauli *monitionibus magis contrarium, non ad* Ecclesias *tantum, sed ipsos etiam Episcopos repetitis. Ad* Timotheum *certe &* Titum *epistolas hac maxime intentione datas, caute perlegenti videbitur: Et hoc argumento* Timotheum quæstionibus stultis & inanibus *interdicit, quod* lites procreare nôrit.

*Quæstiones certe contentionum fertiles esse, omnibus sæculis nimis notum: Quænam* inanes & devitandæ, *quænam* Fundamentales & propugnandæ *sint; ut satis dignoscatur, majus operæ pretium fuerit,*

*rit, quam cujuslibet, imo omnium dogmatum ambiguorum defensio.*

*Quod ergo fæliciter vortat, opus Neglectum pariter & Necessarium aggrediar, & quanta potero perspicuitate discutiam.*

1. In Genere, Quis Fidei locus sit in Religione Christiana?

2. In Particularibus Christianæ Religionis Mysteriis quid necessario credendum? *viz.* 1. de S. Trinitate. 2. Filii Dei Incarnatione. 3. Mortuorum Resurrectione. 4. Cœna Domini.

---

# LATITUDINARIUS ORTHODOXUS.

## CAP. I.

*Simplicissima Religionis Naturalis Elementa Axiomatis proposita* II. *Religio Christiana Resipiscentia & Fide comprehensa*, III. *Resipiscentiæ necessitas:* IV. *Deistarum contra Fidem Objectiones.*

### Axioma I.

*QUid est Eruditio? Discere Principia naturalia particularibus modo naturali applicare:* inquit *Arianus*, egregius philosophiæ *Moralis*, h.e. *Religionis Naturalis*

*ralis Professor.* Nec uſpiam occurrit vel Ars vel Scientia, vel quævis alia agendi ratio, quæ generaliſſimo huic axiomati repugnet. Quum ergo *Fidei* dogmata *Notionibus* communibus examinare, alii nolint, alii nequeant: nos earum loco, Religionis Univerſalis *Aphoriſmos* ab omnibus omnium Terrarum & Sæculorum ſapientibus agnitos, pro Principiis Fundamentalibus proponemus, ſit ergo

AXIOM. II.

*Id in quoque genere perfectiſſimum, cui cum propria ſua natura perfectiſſime convenit.* Optime currit equus optimus, optime odoratur optimus canis venaticus Carne: leo, Gramine bos gaudet. Homo ergo optimus & beatiſſimus ille qui vitam degit eam quæ naturæ humanæ maxime convenit.

AXIOM. III.

*Naturæ & Fœlicitatis humanæ ſummus apex eſt, cum Deo communionem habere. Ad imaginem dei creatus,* eo perfectior quo illi ſimilior; & quo magis ſimilitudinem, eo magis fœlicitatem cum eo communicat,

## Axioma IV.

*Ea optima Religio quæ perfectiſſimam cum deo communionem docet* : Hoc exordio ſumma ſolennitate, Arte, & Induſtria D. *Johannes* epiſtolam ſuam primam comendat recommendatque. *Hæc ſcribo vobis ut gaudium veſtrum plenum ſit & hæc ſcribo vobis ut communionem nobiſcum habeatis, & noſtra ſane communio eſt cum patre & cum filio ejus, J. C.*

## Axioma V.

*Communionem cum patre habent omnes qui deum mundi creatorem agnoſcunt : cum filio non habent niſi Chriſtiani* ; quorum gaudium inde completum eſt quod Chriſtus vitam immortalem promiſerit. Hæc autem communio Illam non tollit, ſed perficit.

## Axioma VI.

*Cum deus ſit abſolute perfectiſſimus, optima quæq; de eo credenda :* & talis exiſti-

exſtimandus eſt,qualem optimus quiſq; diligendum & imitandum duxerit.

## AXIOMA. VII.

*Eadem intentione deus Leges creatis dedit qua Vitam, & cuilibet Mandato Voluptatem propriam annexuit.* Animalibus mandavit ut Corpora Cibo, Species Procreatione ſervarent: hoc illis voluptatis ſumma. Homini autem, cum *Spiritu* polleat, ſumma felicitas eſt cum ſpiritu ſummo communio: & *ſpiritus fructus ſunt Amor, Gaudium Pax, &c.*

## AXIOMA. VIII.

*Spiritus lumine naturali Credenda & Agenda cognoſcit.* Eadem de *Deo* & de *Virtutibus* docuit *Ratio* Philoſophos, quæ *Evangelium* Chriſtianos. Ita *Novum Pactum* deſcribit *Apoſtolus*, ut legem naturalem cordibus inſcriptam agnoſcas; Novum ſcilicet reſpectu legis *Moſaicæ* abrogatæ, ſed *Veterrimum* reſpectu totius generis humani, nec enim

mundo

mundo per Christum primum Datur, sed Restituitur.

Hæc sunt Naturalis Religionis elementa, Cordibus omnium inscripta, ab Evangelio non deleta sed completa: ex his dignoscendum quicquid nobis vel credendum vel agendum mandatur. Quod Consonum est, amplectendum; quod Alienum, contemnendum; quod Oppositum, damnandum. His ergo positis ad Religionem Christianam procedamus.

§.I. QUum *Religio Christiana* non solum lumine *Naturali*, sed & *Revelato* nitatur, non nisi ab *Evangelio* petenda illius cognitio. Illud si consulamus, eam ad duo capita reductam inveniemus: *Fidem & Resipisentiam.*

Docet D. *Marcus* dominum nostrum *Evangelium* prædicasse dicentem, *Resipiscite & Evangelio fidem adhibete.* Ipse autem idem dominus Binarium hunc numerum in singularem reducit. Inter initia prædicationis suæ *Nicodemum* docet Jo. iii. 16. *Sic dilexit mundum deus, ut unigenitum suum filium daret, ut nemo*

*in*

*in eum credens periret, sed vitam æternam obtineret.* Idem tamen dominus mox in cœlum rediturus, ac totius consilii divini rationem reddens, non nisi *Resipiscentiæ* meminit, dicens, *Sic scriptum est, & sic oportuit Christum pati & à mortuis die tertio resurgere ut Resipiscentia & peccatorum remissio illius nomine prædicentur.*

Eodem certe consilio utrumq; Hæc ergo duplex *novi pacti tabula,* partes habet Distinctas, sed Inseparabiles: explicatæ duæ apparent, ita tamen ut in unam reducantur.

Sunt tamen qui eas non separent tantum sed sibi mutuo allidant, & (horrente Paulo) dicant, *In peccato maneamus ut abundet gratia. Christum* audientes vitam æternam credentibus promittentem, & *Paulum* eisdem *Justificationem sine operibus* ascribentem; ita gratuitam dei *gratiam* prædicant, ut *Resipiscentiam* non modo *Irritam,* sed & *Damnosam reddant. Quorsum scilicet grave illud mortificationis jugum? quorsum anxia cum cupiditatibus lucta? Quorsum tristis pœnitentiæ cruciatus? Quis inde fructus*

*nisi*

*nisi ut salutem nostram non gratiæ gratuitæ, sed meritis nostris acceptam referamus? Quicquid Resipiscentiæ datur, Fidei & Gratiæ detrahitur,*

§.II. HIsce & hujusmodi aliis ut respnodeamus, eoq; domini nostri *promissum* cum ejusdem *comminationibus*; D. *Paulum*, justificationem *fidei* ascribentem, cum D. *Jacobo*, eam Operibus tribuente; & novi pacti tabulam aliam cum alia reconciliemus, duo considerandа.

I. Promissa omnia, utcunq; verbis absoluta, ita tamen accipienda, ut omnia supponenda supponi intelligantur. Impossibile, saltem molestum, ut quoties quisquam promissum dederit, toties omnia quæ proprio lumine se ingerunt, singulatim exprimat. Ratio ergo& Necessitas hanc regulam statuêre, quotidiana consuetudo confirmat.

II. Resipiscentia & (quam illa producit) vitæ sanctitas, ideo necessario supponenda, quod hac intentione promissa omnia dantur 2. Pet. i. 4. *Legem naturalem* cordibus nostris inscriptam non

non delet *Evangelium* ſed promovet; Intellectui, illuſtrationibus; Affectibus, Suaſoriis; Spei, Promiſſis; Fidei, Comprobationibus imprimit altiùs, illuſtratq; Illam ſi dominus noſter deletum iret, non Servatorem ageret, ſed Serpentem; & quandiu Evæ progeniem eadem voluptatum prohibitarum cupido irritabit, idem erit *impunitatem* promittere, & ad *fruitionem* pellicere.

Abſit hoc à ſancto domino noſtro, qui errori adeo pernicioſo ſatis ſolicite præcavit *Mat.* vii. 22. &c. dicens, Multos fore qui fidem, eamq; non nudam ſed prædicatam, & mirificis multis operibus comprobatam oſtentent; quibus tamen expectanda luctuoſa illa ſententia, *Diſcedite, vos non novi* (quia probè novi) *iniquitatis perpetratores.*

Hinc abunde patet, quod & ulteriùs ſi opus eſſet facile probari poſſet, *Reſipiſcentiam Fide* Evangelica non tolli, ſed incitari; nec revera aliud eſſe quam *Religionem naturalem*, novis & grandibus promiſſis evectam.

De illa igitur non eſt quod impræſentiarum alteriùs agamus: Naturæ lumine

luimne ſplendet illa; Fides exponitur.

§. III. *QUænam ſcilicet tanta Fidei merita ut æternæ vitæ premio digna videantur? Quicquid laudis tantillum, nedum præmium maximum meretur, aliqualem divinæ naturæ (omnium bonorum fontis) participationem habet: hæc autem à vitæ divinæ vi, adeò longè abeſt, ut manifeſta laboret imbecillitate. Alienæ ſcientiæ qui innititur ſuæ infirmitatem confitetur. Simplex* (inquit *Solomo*) *cuilibet verbo fidem adhibet, ſed ſapiens caute greſſus ſuos dirigit: Pueros & deliros, fœminas & ſtultos, Ægrotos & ineptos, credulos; & quo quis Prudentior, fuerit, eo cautiorem eſſe docet experientia, Siquid Fidei ineſſet laude dignum, à Philoſophis inter Gentiles, à Moſe & Prophetis apud Judæos, celebratum profectò inveniremus; Credulitas autem in Teſtamento vetere nullo præcepto imperata, à Philoſophis inter vitia damnatur. Ut autem culpa immunis ſit, quo tandem merito pollet? Si credidero, id vel ratione juſta fecero, vel impare: ſi prius, nihil inde meruero, quum velim nolim, inductabilis mihi incumbat neceſſitas ea omnia credendi*

*quæ*

*quæ manifeſtis indiciis innoteſcunt; ſin citra vel ultra illa indicia credidero, jam non laudem ſed reprehenſionem meruero. Si jam difficile videatur Prudentiam domini defendere, præmium maximum promittentis, ubi ne minimum quidem debetur; non minus arduum fuerit, ejuſdem Benignitatem celebrare, mandatum æque durum ac ineptum irrogantis. Siquis enim opibus fluat, hecatombas libentius immolârit, quam ſuos ſibi oculos effoderit; facilius tamen Corpori Oculos, quam Animæ Rationem (quæ illi inſtar Oculorum, imo Cordis eſt) dempſeris. Rationem enimvero hominis definitionem complere, câque ſublatâ, non jam pro Homine ſed Bruto habendum, unanimi voce clamitat totum genus humanum. Ut Chriſtani præ omnibus aliis hominibus, Perfecti ſint ſic ut pater cæleſtis perfectus eſt, præcepit Chriſtus; ut jam ille ipſe dominus ſterili fidei, non tantum æternæ vitæ præmium gratis promiſerit, ſed cæli deſcenſu & crudeliſſima morte coemerit; hoc certe cuilibet viro cordato credere duriùs, quam totam legem Moſaicam adimplere.*

Hæc

Hæc & hujuſmodi alia de fide in *genere*: quò ulterius ad *particularia* deſcendimus, eo plures ſemper ingruunt objectiones. Multiplicata indies Dogmata, & quæ nec cogitarunt *Apoſtoli*, nec (ſi in terram deſcenderint) intellecturi fuerint, pro creditu neceſſariis imponuntur. Dum ſcilicet *Syſtematiculis* rudes adhuc animos imbuunt, eiſq; poſtea non examinandis ſed defendendis ſequentia ſtudia impendunt dogmatici, per *Fidem* ſe juſtificandos clamitantes; ſumma interim ingratitudine, ipſam fidem eouſq; negligunt,ut nihil in illa laude dignum oſtentent; ſed *Deum* ſapientiſſimum & optimum, tanquam Legiſlatorem arbitrarium, mandata inepta, hinc maximis præmiis Honorantem,inde ſummis ſuppliciis Vindicantem, vix ſane Defendendum,nedumLaudandum deſcribunt.

Quod ergo per benignitate ſua proſperum velit, opus aggredior æq; Neceſſarium & Neglectum: & ex Axiomate *Ariani*, per *Simpliciſſima Elementa*, ita Domini noſtri & illius Religionis honorem pro pugnabo, ut hanc non minus

Naturali

Naturali *Conſonam,* quam *Præcellentem,* gradatim demonſtrem.

Quum ergo objiciatur, *Fidem inter Virtutes locum non habere, inter Vitia autem numerari,* utriſq; oppono.

I. Fidei inter Virtutes eaſq; Cardinales locum tribuit Religio tam Naturalis, quam Moſaica.

II. Credulitas ita à Fide differt ut a Virtute Vitium exceſſu peccans.

---

CAP.

---

## C A P. II.

*Fidem Virtutem Cardinalem esse. Universæ Religionis & Pietatis Fundamentum.* II. *Sub lege Mosaica ejus defectus pœnis vindicatus.* III. *Fidei Christianæ eo temporis quo illam postulavit Christus aliud meritum, quam nunc dierum Credendi difficultates majores.* IV. 1. *Græcis.* V. 2. *Judæis.* VI. 3. *Profitendi periculam.* VII. 4. *Necessitas.*

FIdes in *Religione* etiam *Naturali* Cardinalem locum obtinet. Est enim summa erga deum *Justitia*, ejusq; omnibus perfectionibus debitum honorem persolvit. *Veracitati*, dum dicit, *Deus absolute verax est. Omnipotentiæ*, dum dicit, *Deus omnipotens est. Justitiæ*, dum dicit, *Deus summe Justus est*, &c. eoq; Religionis Naturalis pars est non exigua. Nec tamen è tribunali

tribunali jus tantum Dicit: quod dicit Exequitur & aliis virtutibus ita *Præest*, ut etiam *Interſit*. Epiſtolæ ad Hebr. c 11. perlegamus, inſigniſſima *Patriarcharum* facinora *Fidei* accepta referenda reperiemus. Inter primos laudatur *Enoch* hoc elogio *Per Fidem tralatus eſt, quum hoc teſtimonium accepiſſet, deo placuiſſe. Sine Fide autem deo placere impoſſibile. Quiſquis enim ad deum accedit neceſſe habet ut credat deum eſſe, & remuneratorem eſſe eorum qui eum diligenter quærnnt.* Digna certe vox quæ nos ad Teſtimonium citatum mittat. Habetur autem Exod. xx. 22. *Per fidem Enoch cum deo ambulavit*, &c. Hoc ergo Sorite procedit Argumentum: Placere deo non poteſt, niſi qui cum Deo ambulat; Cum deo ambulare non poteſt niſi qui ad Deum accedit; ad deum non accedit niſi qui credit, &c.

Quid hic dubii? Nunquid *Enoch* religione caruit? Nunquid *Fides* Religionis *Enochicæ* fundamentum? Qua autem Religione imbuti? Nonne jam de hac Religione luculenter authoritate *Paulina* demonſtratum, ſine eâ deo placere neminem poſſe? Fidem

Fidem *Religionis* Naturalis Fundamentum eſſe patet, eandem coronidis loco perficere, ſequentibus patebit.

En *Abraham* inter *Patriarchas* ut *Saulem* inter populum, capite cæteris altiorem! hunc nobis oſtentat idem Paulus (*Rom.* 4.) Fidei exemplar & fidelium Patrem. Obſervemus & Fidei & Obedientiæ exemplar.

Fide adeo firma deo credidit, ut obſtacula omnia perrumperet. Proprium eumque unigenitum filium trucidare prohibuit *Natura*. Fieri poſſe ut mactatus puer gentium pater foret, negavit *Ratio*: Utrumque ſuperavit *Fides*, aſſerens nihil *Deo* æque impoſſibile eſſe, ac fidem datam fallere vel quicquam iniquum Imperare: eoque non minus *Rationem* ſuam quam *Iſaacum* Deo immolendam cenſuit. Cum Mandato ſane contendit, ſed *obſequio*, ut illius Duritiem hujus Alacritate ſuperaret. Moras adeo non nexuit, ut omnes abrumperet; *Somnum* ſolito maturiùs excuſſit, *Saram* conſilium ſuum celavit, *Servos* non niſi duos admiſit, eouſque longè habuit, Filium ad procedendum

allexit: Filio ſuo ſervando, non mactando ſtuduiſſe dixeris. At rationem reddidit Apoſtolus: Credidit poſſe Deum Iſaacum à mortuis reſuſcitare. *v.* 19. Hæc eſt *Fides*, nunquam forſan æquanda, at omnibus imitanda, *Naturalis.*

§ II. Religioni Abramicæ ſucceſſit Moſaica. Hæc ſi inter præcepta Dei *poſitiva* fidem non numeret, quid mirum? Quorſum lex Poſitiva ubi obligatio notiſſima? Quorſum requiratur Fides inter quotidiana divinæ potentiæ experimenta? Ipſum tamen *Vetus Teſtamentum*, quam laudamus *Fidem*, ſi minus lata lege, incredulorum tamen pœnis ſanxit. *Sara* quidem Fidelis mariti gratia leni Reprehenſione redarguitur. *Nunquid deo impoſſibile? Lothi* autem uxor à tergo mariti fugam ex mandato angelico feſtinantis, in urbem maledictam reverſa, cum impiis pœnas infidelitatis pariter & inobedientiæ luens, in *columnam ſalis, h. e.* (idiomate Hebræo) perennis ſupplicii, infidelitati debiti, *monumentum* converſa.

Cum

Cum famelicæ urbi craſtinam copiam, etiam feliciſſimis ignotam, Propheta Dei nomine promitteret, Dynaſta incredulus beneficium ſibi non Inutile tantum ſed & Pernicioſum reddidit.

*Iſraelitæ* qui quotidiana Dei munificentia veſcebantur, cum dubitarent an poſſet in *eremo menſam ornare*, ore dapibus referto periêre: nec in terram promiſſam eis introire conceſſum qui *Anakitas* magis quam Deum metuebant.

Iſta qui ſatis perpenderit, effugere non poterit, quin vel Fidem lege Naturali ſancitam agnoſcat, vel Deum injuſtitiæ inſimulet, vel Apoſtolum falſi arguat, dicentem *ubi nulla Lex nulla Tranſgreſſio*. Quod ergo de Promiſſis, idem de Legibus dicendum; Omnia neceſſario ſupponenda, dum non enunciant, implicant: & Legis eo in caſu ſilentium Lege opus non eſſe proclamat.

§ III. SUB Evangelio autem longe aliter ſe res habet. Si Fides jam *inter* virtutes locum non habeat,

*ſuper* omnes eminet: Si Lege non ſanciatur, præmiis certe ampliſſimis incitatur: & legis operibus ita opponitur ut præponatur. Ipſiſſimis enim verbis enunciat D. Paulus, *Fide ſine operibus juſtificamur*; imò ideo in mundum veniſſe ſe teſtatur ipſe dominus noſter, *ut quiſquis in eum crediderit vitam æternam obtineat.*

Vertenda proinde hic tabula, ac domini cauſa agenda; Fidem, quam olim lege aperta non dignatus eſt, omnibus jam legibus ita præferentis, ut omnia bona opera vel continere vel contemnere videatur.

Hoc ut luculentiùs fiat, eam quam ſibi vendicat *Chriſtus Fidem*, cum Fide *Regi ſæculari* debita conferamus. Regi Fides ſemper debetur: at pro temporum diverſitate diverſis præmiis fovenda. Temporibus proſperis nil ſupra ſimplicem protectionem vel meretur vel ſperat. Sin regem ad debitum dominium admittere recuſant Subditi; jam enimvero rerum ſuarum cura principem coget, ſubditorum fidem promiſſis adeo amplis ſolicitare, ut eorum interſit,

interſit, conatibus quam poſſint maximis, ejus cauſam ſuſtinere.

Nec aliter hic. Fides *Chriſto* omnibus temporibus præbenda: Id autem temporis, quo ipſe primum, & poſtea Apoſtoli ipſius adeo importunè illam efflagitarunt, egregia concurrebant ejus merita, quæ regnante jam *Religione Chriſtiana* antiquata, ad hæc tria reduci poſſunt. 1. *Credendi Difficultatem.* 2. *Profitendi Periculum.* 3. *Utriuſque Neceſſitatem.*

§ IV. 1. D*Ifficultates* tunc temporis occurrebant multæ magnæque. Mandatum quidem breve, ſed arduum. *In Deum creditis, credite & in Me, h. e.* Abſolutam, Illimitatam, & Implicitam Fidem, quam Deo deberi docet lumen *Naturale*, eandem & mihi præbete. Hoc tum temporis (tum inquam temporis) *Judæis ſignum quærentibus, Scandalum; Græcis Sapientiam inveſtigantibus, Stultitia.* Nec injuriâ *Paulo* objectatum, *Secta iſti ubique locorum contradici novimus.*

1. *Græci Sapientiam quæritabant.* Sapientiæ autem Præceptum primarium, *Fidem* loquentis *Veracitate* & dicti *Credibilitate* metiendam; & *Credulitatem* quæ iſtos limites excedit, damnandam; ſin de *Religione* agatur, jam ſtultitiæ addetur *Impietas*: utq; omnium Dogmatum veterum permutatio difficilis, ita *Religioſorum* difficillima pariter & periculoſiſſima.

Fidem nunquam obtinuit dogma adeo abſurdum, quin duratione eas egerit radices, quibus effodiendis labor non ſane exiguus requiratur: imo plerique aliam Religioni ſuæ Fidem non adhibent, quam eam quæ peſſimis eodem jure præbenda foret.

Non minore vel Fiducia credunt vel Zelo propugnant *Mahumedani* impoſtoris ſui deliramenta; quam *Chriſtiani* ſacroſancta ipſius *Chriſti* præcepta. *Pagani* idololatriam ſuam æque acriter propugnant ac nos impugnamus. Qui illud adorant quod comedunt, abſurditatem illam *Fidei* ſuæ, non *Articulum* ſolum ſed *Caput* faciunt: Cum ergo Religioni Novæ manus dare non

poſſit,

poſſit, niſi qui Nativæ renunciaret; hoc enimverò *Chriſtianæ* primordiis obſtaculo fuit ægrè admodum ſuperando.

Quin & *Perſonæ* credendæ obſcuritas difficultati non parum contulit. *Abramus* non minorem *Mandati* divini quam *Promiſſi* certitudinem habuit: Hic autem *Chriſti*, tam grandia & Imperantis & Promittentis tenuitas, Contemptum potius quam Fidem mereri videbatur.

Illumne ſequacibus ſuis vitam æternam promittere, qui ſuam ſibi à morte ignominioſiſſima conſervare non poſſet? Illum Regni hæreditatem largiri, qui *non habere ſe ubi caput reclinaret*, queſtus eſt! Iſta ſane *Sapientiam quærentibus* non Credenda, ſed Ridenda videbantur.

§ V. 2. JUDÆI *Signum* poſtulabant, idque adeo illuſtre, ut miracula *Moſaica* æque ſuperaret, ac illius virga *Magorum Ægyptiorum* ſerpentes voraverat. Omnes omnium Religionum authores familiaritatem ſibi

cum numine aliquo intervenire credulæ plebi fidem fecerunt. Sic *Romanis Numa*, *Arabibus Mahometes* imposuit: *Moses* autem Palam & Publicè, quotidianis per integrum sæculum miraculis honoratus, divinam legis authoritatem ipsius dei digito commonstrabat. Quod autem *Divinum* certò sciebant, illud *Immortale* fore non dubitabant.

Quid quod animorum *Aversio* fidem Horrebat? Legem, hæreditatem suam nuncupabant, eâque se cæteris gentibus non minus præpellere jactitabant, quam illæ Brutis anteferendæ: Gentemne *Sacrosanctam* cum gentibus profanis in ordinem redigendam? Istud quam incredibile illis videretur ab *Apostolo* discas, hoc *Mysterio* non minus attonito, quam prima visione illum in terram agente.

Epistolæ ad Ephes. i. 9. & iii. 3. *&c.* qui attente perlegerit, è tantâ demiratione *Mysterii*, sola revelatione crediti, quam alias creditu difficile fuerit, facile judicabit.

Quin & Judæis magis quam Græcis obstitit jam memorata *Personæ* tenuitas.

*Messiam*

*Meſſiam* expectabant de tota terra adeo triumphantem, ut populum dei unicè dilectum, non minus victoriis quam *Lex* Sanctitate, cæteris præferret. Itane illuſtris ille gentium Aliarum domitor, Suæ exaltator, in Fabrum *Galilæum* deſinet? Spes tam ſublimes in triſte illud *Qui mihi diſcipulus erit, crucem ſuam tollat?* Hoc ideo credere non Poterant, quia Nolebant. Tanto ergo Promiſſorum pondere opus illis erat, quantum repugnantiis adeo gravibus præponderandis ſufficeret.

§ VI.2. Fidei Profitendæ *Periculum* Admittendæ *Difficultati* tunc temporis par fuit. Fuere inter Judæos etiam primores qui *crederent, ſed propter Phariſæos confeſſi non ſunt, ne Synagogis amoverentur.* Jo. 12. 42.

Non autem diſſimulat Chriſtus, ſed aperte proclamat, *Qui Patrem & Matrem, imo ſuam ipſius vitam non oderit, diſcipulus mihi eſſe non poterit.*

Iſta ſane exultabundæ, quam de *Meſſia* hauſerant Judæi expectationi æque Contraria ac Ingrata. Aliâ illi Victoriâ

ctoriâ ſuperandum mundum ſperabant, quam *Fide*, qua & ipſe etiam *Abrahamus* aliquatenus ſuperandus. Potuiſſe Deum *Iſaacum* vel *Eundem* reſuſcitare, vel *Succedaneum* ſubſtituere, ipſius ſupra omnes naturæ leges nativitate expertus erat: Sed reſtituendæ diſcipulis vitæ, ob fidem amiſſæ, *Promiſſa* quidem apparebant, *Experimenta* deerant, Fides exigebatur, & cum Fide Perſecutionum omnium tolerantia.

§ VII. 3. FIdem profitendi *Neceſſitas* ejuſdem & *Difficultati*, & *Periculo* æqualis tunc temporis fuit. Et ſane abſque hac, Alterutra, nedum Utraque, durum mandatum effeciſſet.

Nec enim Princeps quiſpiam *ſerenante* regno *Diligendus*, nedum *Titubante Propugnandus*; qui citra *Neceſſitatem*, cives ſuos pro arbitrio periculis objiceret. *Bello* quidem ſæviente, ſuorum Fortitudinem periculis *Exercere*, & præmiis promiſſis *Solicitare*, regibus etiam optimis uſitatiſſimum. Sed beſtiis in theatro ideo committere, ut ſe diro ſpectaculo

ſpectaculo oblectent ; hoc enimvero horruerunt *Chriſtiani*, dum agerent *Romani*. Tempora ergo diſtinguere apprime neceſſarium.

*Neceſſitas* fidem profitendi tunc temporis flagrantiſſima, Regno *Chriſti* ſubjiciendus mundus, *Gentilium* dii cultu omni , *Judæorum* Deus ceremoniis omnibus, etiam ab ipſo inſtitutis (ut videbatur) ſpoliandus, & Partitionis, quem ipſe erexerat, murus demoliendus. Ad facinora tam grandia nil aliud attulit *Chriſtus*, præter *Miracula* & *Promiſſa*. Si jam diſcipuli, quam hauſerant Fidem apud ſe retinerent ; non niſi Pauci, certe ne una quidem Gens, nedum Omnes (quod promiſſum) ſubacta foret : Iſta jam omnia nobis in contrarium vertit benignitas divina: Æque jam *Difficile* nobis reddit Educatio noſtra ; æque *Periculoſum* Leges, Chriſtum Abnegare, ac illis Confiteri ; ſublatâ ergo temporariâ illa, quæ ab illis topicis fluxit præcellentiâ ; totum, jam quantum fuerit illius meritum, fructibus menſurandum.

Eodem

Eodem & *Tempore* & *Consilio*, quo Christus *Fidei* æternæ vitæ promissum annexuit; Evangelium prædicantibus, mirificam *Potentiam* & Promisit & Contulit. Hæc jam cessante necessitate ita cessarunt, ut Spiritus Sancti dona Corda fidelium moveant, Oculos spectantium non feriant; Eadem est hic, sed ex altera tantum parte ratio: non ut æternæ vitæ, sicut Spiritus Sancti *Promisso*, quicquam detrahatur, sed Fidei Meritis simpliciter sumptis; ita tamen ut quæ perpetua manet ejus Virtus, perpetuum retineat ad promissam mercedem jus.

Sublatis enim heroicæ virtutis exercendæ occasionibus, in *Ordinem* quidem, non autem in *Nihilum* redacta est, Genuinus quisque *Abrahæ* filius *Isaacos* suos, h. e. dilectissimas libidines, ex mandato divino immolabit, cum omnibus Christi hostibus, sine Periculo forsan, at non sine Labore belligerabit: & quicquid imperabit obsequium Deo debitum Faciet, imo Patietur, virtus optimis vel Annumeranda vel Præferenda.

Utinam

Utinam jam adjicienda non foret, infælix illa *Virtutis* proprietas, quod vitiis utrinque ſtipetur, hinc Defectu, inde Exceſſu peccantibus.

De *Incredulitate*, non eſt quod dictis adjiciamus. Credulitate nimiâ nihil imminere periculi forſan videatur, cum *Abrahami* ſumma confidentia ſummam laudem aſſecuta ſit. At aliunde nobis imminet *Exceſsûs* periculum.

Durum illud de filio immolando mandatum à Deo datum fuiſſe, *Abrahamo* Exploratiſſimum, non Fide Creditum. Quamprimum hoc certe innotuerit, ideo non poteſt confidentia exceſſu peccare, quia non poteſt infinitatem excedere. Dupliciter tamen poteſt in vitium degenerare.

1. Reſpectu *Perſonæ* : ſi, quæ ſoli *Deo* debetur, *Homini* præbeatur.

2. Reſpectu *Effati* : ſi illud credamus à Deo dictum eſſe, quod revera ab eo dictum non eſt.

CHAP.

## CAP. III.

### De Credulitate nimia.

I. *Credulitas nimia vitium Fidei oppositum.* 1. *Si Personæ indebitæ adhibeatur.* II. 2. *Si Effato plus tribuatur quam debetur. Dogmatis Fundamentalis notæ.* 1. *Simplicitas.* 2. *Verbum Divinum.* 3. *Æternæ vitæ promissum credenti datum. Corollaria.* III: 1. *Non opus controversiarum judice.* 2. *S. S. sufficiunt.* 3. *Fundamentalium Catalogo non opus.* IV. 3. *Si ea quæ vera credimus majore quam fas est zelo propugnemus.* 1. *Hæresis Simplex innocua.* 2. *Hæretica pravitas vel nimia contentione vel materiæ atrocitate consistit.* V. *Personæ*

### *Perſonæ Chriſti debetur Fides.* 1. *Quis ſit Chriſtus.* 2. *Quid ſit in Chriſtum credere.*

§ I. 1. RESpectu Perſonæ; *Fides Deo unice debita ſi Hominibus tribuatur, in Vitium tranſit.*

Egregius *Chillingworthus* noſtras, ὁ μακαρίτης, frequenter ſe, ſed incaſſum, percunctatum Romaniſtas teſtatur, quare implicita fides *in Chriſtum*, non æque ad ſalutem valeat, ac fides implicita *in Eccleſiam*?

Erat ſane hoc Reſponſu nimium, ſed Rogatu parum. Altiùs inſurgat quæſtio, Quomodo ſibi *Arrogare* auſit Eccleſia, vel Homo quilibet *Tribuere*, ulli authoritati non dico *Humanæ*, ſed *Angelicæ*, eam *Fidem* quæ *Deo* propria eſt? Injurium hoc *Deo* eſſe duobus potiſſimum argumentis demonſtratur.

1. *Polytheiſmum* ſapit. Qui ſe *zelotypum Deum* profitetur, hujuſmodi fide (qua colitur) divinâ, creaturis exhibitâ, non provocari non poteſt. Quid quod ipſum Mendacii reum agit? *Sit*

*Deus*

*Deus Verax & omnis Homo Mendax*, duplex eſt ejuſdem Spiritus divini effatum. Siquis Poſterius æque non credit ac Prius, Deum Mendacem, & Hominem Deum eſſe inſinuat.

2. Quiſquis Implicitam eam fidem cuiquam tribuit, quæ Rationi rectæ contradicit; ideo Deum falſi arguit, quia ſibi contradicentem.

*Ratio* cordi humano impreſſa, æque vox divina eſt, ac papyro inſcriptæ *literæ*: Imo, qui *Rationi* fidem detraxerit, eopſe *Scripturas* authoritate ſpoliaverit; nam *Rationi*, argumentis validiſſimis eas divinitùs datas demonſtranti, innitimur: eoque ſibi ipſi contradixerit ſiquis eodem momento *Rationi* fidem Adhibuerit & Detraxerit.

*Spiritum hominis Dei Lucernam eſſe docet* Solomo. *Se lumen eſſe omnes in mundum venientes illuminans*, *profitetur Chriſtus:* Abſit ut *Lucernulæ* lumen *Solis* lumini æquandum judicemus: Hoc ſolum volumus, quod quum nec adeo Longè, nec adeo Splendidè fulgeat; æque tamen Veraciter commonſtret, quæ intra exiguam ſuam ſphærulam occurrunt. Fides

Fides *Abramica* noſtræ exemplar, dum *Deum* non poſſe *fidem fallere*, impoſſibilius judicavit, quam *mortuo vitam reſtituere*, non minus *Rationi* ſuæ, quam Dei *Promiſſis*, Fidem habuit.

Hoc ut luculentius (ſi fieri poſſit) fiat, quænam fidei materia ſit maxime propria, attentius conſiderandum; eoque Materia *Fidei*, à Materia *Facti* cautè diſtinguenda.

*Materia Fidei*, immediata & propriè ſic dicta, eſt hæc unica Propoſitio, *Deus eſt infinitè Perfectus*. Hac in fide non titubavit *Abram*, utcunque hinc Promiſſo, inde Mandato impulſus: Eundem autem Deum & Promiſſi & Mandati authorem fuiſſe, hoc non *Fidei*, ſed *Facti Materia fuit*; de qua ſilente *Scripturâ* quoad circumſtantias, loquitur *Ratio* quoad evidentiam: Neque enim illa dubitare permittit Abramum indiciis, illi apertis licet nobis ignotis, non minus *illâ* ex parte *Securum*, *quam* ex hac *Confidentem* fuiſſe. Aliter, non minus damnandus foret ob contumeliam Deo illatam, tanquam iniquiſſimi mandati authori, quam jam laudandus ob Fiduciam. Oportet

Oportet ergo habeamus Fidei menſuras: Prior eſt Perſonæ credendæ *Veracitas.* Si *Deo* adhibenda Fides, *Abſoluta* & illimitata infinitæ Veracitati debetur: Si *Homini*, pro diverſa ejus probitate juſta fidei proportio; nunquam autem Abſoluta, quia *Omnis homo mendax* reſpectu Dei. Altera Menſura eſt *Evidentia Facti*, qua nobis apparet, illud cui Fides noſtra depoſcitur, verbum Dei revera eſſe. Hic Fides tribuenda, *Evidentiæ* commenſurata, cum ſincera animi diſpoſitione, ulteriusin Fide procedendi, ſi ulterior evidentia id æquum indicaverit. Qui hos limites credendo exceſſerit, injuriam *ſibi*, forſan & *Deo* fecerit. Utrique certe injurius qui plus exegerit; *Deo*, quia Fidem illi unicè debitam, Homini arrogat; *Mihi*, quia in animum meum Imperium aſſumit.

Hac jam poſita diſtinctione totius litis cardo vertitur. Hac unica Teſſera dijudicandum, ſitne Virtus an Vitium, ea quæ à me depoſcitur Fides.

Hoc

Hoc ut luculentiùs exemplo appareat: *Prophetam* ſpectemus infelicem, qui mandato divino *Judæâ Bethlehem* profectus, omnibus Dei mandatis morem geſſit: Peracto itinere moleſto, ipſi ad os Regi, altaris deſtructionem denunciat, oblatas dapes regias recuſat, aliâ quam qua venerat via revertitur, ad amuſſim omnia. Quum autem *ſenex Propheta* ei diceret, *Ego Propheta ſum æque ac tu, & Angelus verbo domini mihi locutus eſt, dicens reduc illum in domum tuam ut panem comedat & vinum bibat; vir probus & credulus maligno & mendaci fidem adhibens, non tam Inobedientiæ quam Credulitatis pœnas dedit:* 1 *Reg.* 13. Juſtitiam divinam hac regula propugnantibus *Rabbinis*, viz. *Siquis Propheta verbum à Deo immediate acceperit, contrario Dei verbo, niſi ex verbo immediato, fidem nequaquam adhibeto.*

Diſquiſitioni quæ præ manibus eſt æque reſpondent & Regula & Exemplum. Quicquid dictat *Ratio*, immediatum Dei verbum eſt: ſiquis contrarium ſuggerit, verbum æque immediate

Divinum producat: hoc quamprimum fecerit, *Ratio* ipſa vela convertit, eandem *Fidem verbo* (ſed ejuſdem *Dei) contrario* adhibens. Sin non niſi ſuam vel aliam aliquam *Humanam*, h. e. vel fallacem vel fallibilem, authoritatem obtendat; funeſto Prophetæ exitu diſcamus, quid faciendum incumbat.

Non equidem idem Fatum denuncio. Non in prædam *Leoni* ceſſurum hunc credulum ſpero; at ſe in *Aſinum* commutaſſe edico, quolibet dogmate *ſternendum*, cuilibet impoſtori *inſidendum*, qua velit ſeſſor *adigendum*; idque per ſtupiditatem plane *Aſininam*; Credulitatem erga homines, à Fide in Deum non diſtinguentem.

§ II. 2. DE Credulitatis exceſſu, reſpectu Perſonæ hæc dicta ſunto De altero ejus exceſſu, reſpecti *Effati*, dei nomine credendi, jam dicendum. Hic autem Peccandi periculum duplex. 1. Reſpectu Extenſionis, ſi ad ea fidem extendamus, quæ fidei limites excedunt 2. Reſpectu Intentionis

tentionis, ſi quæ vera credimus majore quam fas eſt zelo propugnemus.

1. Peccamus ſi ea credamus neceſſario credenda quæ revera (vera licet) Neceſſaria tamen non ſunt.

*Pontificii*, argumento à *Refo matorum* controverſiis ſumpto, *Fid m implicitam Eccleſiæ* adhibendam exigunt: Nos, ultra *R criminationem* (ſufficientem ſanè, minus tamen honorabilem defenſionem) de Fidei *Fundamentalibus* ſatis inter nos convenire reſpondemus. Inſtant illi exhibendum *Fundamentalium Catalogum*: Id ſi bona fide facerent, negandum non foret: Dum autem ſe, omnes *Concilii ſui Tridentini* determinationes, *fide abſoluta* foturos profitentur; à Catalogo ſic poſtulato, non cum illis *Pacem*, ſed ulteriorem inter nos *Diſſenſionem*, Sperant illi, nos Metuimus: nec immeritò ſane, cum pro animorum diverſorum, hinc *Amplitudine*, illinc *Exilitate*, hi Plura, illi Pauciora ſtatuant *Fundamentalia*.

*Hammondus*

*Hammondus* noſtras ὁ πάνυ, pro *Catalogo*, *Characterem* exhibet; juſto libello demonſtrans, *Fundamentum ſuperſtructuræ Relativum* eſſe; eóque Dogma quodvis eoúſque tantum pro *Fundamentali* habendum, quouſque *Pietati* inſervit. Verum ſanè axioma, at attollendis controverſis Impar: cum vix occurrat, in qua utraque pars hanc ſibi teſſeram pari confidentia non arroget.

Cum ſummam attentionem noſtram mereatur tanti momenti diſquiſitio, notis inſuper aliis diſtinguenda dogmata Fidei *Fundamentalia*, à *Simpliciter Veris*,

I. *Dogma Fundamentale Simplex eſſe oportet*; infimæ ſortis & capacitatis hominibus intellectu facile.

Sciſcitanti *Johanni* an eſſet ὁ ἐρχόμενος. reſpondit Dominus *Pauperes evangelizantur*: & gratias patri reddidit quod *infantibus revelarit quæ ſapientes celarat.*

Præter illam D. *Pauli* jactationem, *Evangelii lumen fulgidum latêre non poſſe, niſi oculos à mundi deo occæcatos.* Præter metum quem de *Corinthiis* habere

bere ſe profeſſus eſt, ne eorum *animi ab ea quæ in Chriſto eſt ſimplicitate corrumperentur*; præter iſta & complura ejuſmodi alia, hoc inſuper obſervatu dignum, eundem Paulum (*Rom.* x. 9.) pro *Juſtitia quæ per fidem* eſt differentem, hoc maxime nomine, *novum fœdus veteri* pertuliſſe, quod facilius intelligatur: eoque verba *Moſis* (*Deut.* xxx. 12.) ad Fidem transfert, nulla *Sublimitate*, nulla *Profunditate*, nulla cujuſque generis *Diſtantia* remotum, non in *oculis* tantum, ſed in *ore*, imo in *corde* adeſſe percipiendum.

II. *Fidei objectum, Effatum aliquod Divinum eſſe oportet.*

Dominum noſtrum præcepto ter repetito, *oves ſuas Petro paſcendas demandâſſe*, ideo ſumma cum confidentia credimus, quia in ſacris ſcriptis memoratum invenimus; Evangelium prædicandi munus inde datum, ideo novimus quia aliter boni *Paſtoris* officio fungi non poſſet: at authoritatem inde conceſſam, non ipſi ſolum *Petro*, ſed omnibus illi in *Cathedra Romana* ſucceſſuris, ut omnes gentes quæ futuris

turis sæculis in ovile *Christi* introiverint, potestate æque ampla regant, ac *Pastor oves*; ac omnibus insuper *Gentibus & Regibus* inde imperatum, ut eadem *Simplicitate* pastoribus illis obsequantur, *qua Oves suis*; hoc enimvero nec Credit *Fides*, nec exigit *Ratio*; cum consequentia ista non oculos tantum perspicacissimos, sed Telescopia etiam longissima fugiat.

3. Objectum Fidei proprie sic dictum, non tantum aperte *Revelatur*, sed & promisso æternæ vitæ palam insignitur.

Quanquam enim omnia Dei verba, *æquâ* (quia *infinitâ*) veritate pollent, non tamen omnia *Evangelii titulo* æque insigniuntur: non autem *omnibus scriptis* sed *Evangelio* datum promissum, *Ite in totum mundum, omnibus creaturis Evangelium prædicto: qui credit & baptizatur servabitur, qui non credit damnabitur.* Mar. 16. v. 15. *Evangelio*, soli Evangelio data illa *servandi & damnandi* vis; quisquis ergo eam ad *quodlibet dogma* utcunque Verum, imo utcunq; Revelatum extenderit; *Christo*

ſe Authoritate parem, *Fidelitate* ſuperiorem jactaverit : *Authoritate parem,* quia ſalutem ſine commiſſionis umbra his conceſſerit, illis negaverit: *Fidelitate ſuperiorem,* quia Salutis & Damnationis conditiones ab illo celatas indicaverit.

Imo & ipſum *Dominum, Infidelitatis* inſimulaverit : Siquis enim ea omnia crediderint quibus ille æternæ vitæ præmium annexuit; illa tamen vel prorſus *ignoraverint,* vel inter *dubia* reliquerint, imo forſan *falſa* judicaverint, quæ creditu neceſſaria alii denunciarunt; vel illis pereundum eſt quibus Chriſtus vitam promiſit, vel hi damnandi qui damnationem illis pro arbitrio ſuo interminantur.

Cohibere me non poſſum quin querimoniam nimis juſtam hic repetam; inter tot de Fide Diſceptationes, negligi ipſa Principia. Nihil uſquam occurrit, magis vel *Obvium,* vel *Neceſſarium,* vel *Neglectum,* aperta iſta Facti materia. Alia per *Chriſtum* ejuſque *Apoſtolos, Cum Promiſſo* annexo, alia *ſine Promiſſo* revelata. Unde iſta neceſſario ſequuntur Corollaria.

§ III. 1. Controversiarum Judice nil opus. Si enim omnia creditu necessaria, utpote vitæ æternæ promisso insignita, adeo *Simplicia* sint, adeo *Pauca*, adeo frequenter *Inculcata*, ut occultari à simplicissimis, modo sinceris, non possint; tunc omnium *facultates* eousq; *infallibiles* sunt, ut in tuto sincerum quemq; collocent: ac siquod aliud dogma, adeo *Dubium* fuerit, ut probus quispiam in illo enucleando, sincero animo errare possit; nil inde mali sequetur, nisi à nimio eorum zelo, qui *necessaria* cum *non* necessariis confundunt.

2. Sacra Scriptura, utcunque (librorum Longævorum fato) Copistarum negligentia, Hæreticorum fraudibus, aliisque temporum injuriis obnoxia, forsan & mutilata, saluti tamen sufficiunt.

Multa *Apostolorum* scripta intercidisse dolendum; non tamen hoc impedit, quo minus illa quibus etiamnum fruimur, sufficiant. Imo si omnia alia præter illa quibus annectitur vitæ, æternæ

ternæ præmium, erepta nobis eſſent, ſuffectura tamen forent paucula illa.

Sicut autem in *Corporeis*, ita in *Spiritualibus* fulget beneficentia divina: utrinque non *Neceſſaria* tantùm, ſed & *Jucunda* largitur. Non *Panem* tantùm, ſed & *Epulas* & *Vinum* concedit Dei liberalitas, at cum *Sobrietate* ſumenda.

3. *Fundamentalium Catalogo non eſt opus*; eis ſaltem quibus illud ab hominibus conceditur quod à Chriſto præcipitur, *Scripturas ſcrutari*.

Quum inibi Effatum illuſtre occurrit, ad *Mardochæi* inſtar honoratum, ipſo etiam *Chriſto* ſolenniter proclamante, *ita veritati illi fiet qua honoranda delectatur Dominus*; aliis interim dictis, æque divinis, nullo dignitatis inſigni decoratis, ſed in medio relictis; quis dubitaverit, alium his, alium illis, honorem exhibendum?

Certè, ſi *Haman* alios eâ in pompâ cum *Mardochæo* exæquâſſet, æque Obſequio *Regi*, ac Honori *Mardochæo* debito detraxiſſet; idque eò ſemper magis, quo pluribus honorem illum, jam non Singularem communicâſſet.

Inter plebem non fuit qui regis animum ea in pompa non perſpexerit: unde fit quod nobis *Chriſti* intentio vel *lateat* vel *negligatur*? Et quorſum alium *Fundamentalium Catalogum* quærimus, quam illum (ſi tamen *Catalogum*) quam ipſe nobis exhibuit?

§ IV. 2. *SI ea quæ vera credimus majore quam oportet zelo propugnamus*, ardore nimis intenſo peccabimus.

Nec quicquam *Eccleſiæ Romanæ* ineſt magis *Antichriſtianum*, quam inhumanus iſte ardor, qui *Hæreticos* delendos ipſis etiam *Principibus* demandat: Quo jure, ut è ſacris literis diſcamus; operæ pretium erit, ſingulos illos textus (nec enim plures ſunt) in quibus terribilis iſta vox occurrit, perpendere. Advertemus enim aliquando *Hæreſin* ſine ulla vituperii nota nominari, aliquando etiam damnari.

1. Aliquando *Hæreſis* ſine ulla addita cenſuræ notulâ nominatur. Sic Act. 5. 17. *Archipontifex, & qui cum eo erant* (quæ eſt αἵρεσις *Hæreſis Sadducæorum.*)

*orum.*) Hic quidem ideo male ſonat *Hæreſis*, quia *Sadducæi heterodoxi* erant. At *cap.* 15. *ver.* 5. Idem de *Phariſæis* dicitur, *Surgebant aliqui ex hæreſi* ( eadem enim utrobique vox ) *Phariſæorum*. & *cap.* 26. *ver.* 5. Paulus *Hæreſin* ita agnoſcit, ut laudet: *Secundum exactiſſimam Hæreſin religionis noſtræ Phariſæus vixi. Cap.* 28. *ver.* 22. Aliquanto magis ambiguè loquuntur *Judæi*, *Cupimus* ( inquunt ) *à te audire quid cenſeas : de Hæreſi enim illa notum nobis eſt, ei ubique contradici. Hæreſin* illam Suſpicantur, non Damnant : & Apoſtoli ſententiam poſtulant, damnandáne ſit, an amplectenda. Eoque Hæreſin, qua talem, damnandam non exiſtimaſſe vel *Paulum* vel *Judæos*, liquido conſtat.

Quibus etiam aſtipulatur *Ratio* manifeſta. Si enim ( quod peſſimum) ſupponamus, dogma *Erroneum* eſſe: *Error* tamen cum ſinceritate conjunctus, *Infelicitatis* aliquid habere poteſt, *Pravitatis* non poteſt : Si autem Error in homine *ſingulari* culpa vacet, in *pluribus* ſimul conſentientibus, criminoſus

eſſe non poteſt, niſi Concordia pro crimine habenda ſit: Nec *Errorem* (aliter innocuum) *Perſeverantia* in *Hæreſin* damnabilem corrumpet.

Regia illa *Caroli* II. ſententia, *In re malâ Obſtinatio in bonâ Conſtantia eſt*, vulgarem refutat, aſſerentium *Errorem*, obſtinatione in *Hæreſin* damnabilem degenerare, Quum enim cuilibet dogma ſuum bonum videatur, eidem adhærere, Vitio verti poteſt, Laudi poteſt; eóque majori, quo majoribus oppoſitionibus colluctatur, & diutiùs perſeverat.

2. At ſicut aqua limpida miſtionibus impuris fœdatur; ita *Hæreſis* ſimplex, *Pravitate* ſæpiùs inquinatur. Præcipue duabus.

1. *Si nimia, eâque voluntariâ litigatione propugnetur. Voluntariâ* inquam; nec enim penes quenquam eſt ut contentionem devitet, veritatem abnegare: eſt autem, eouſque cum aliter ſentientibus pacem colere, ut ultrò pacem non perturbemus: quod ſi fiat, ex ea parte *Hæreſis Prava* erit, ex qua Vitilitigatio.

Paulus

Paulus Gal. 5. 20. *Hæresin* intet *opera carnis*, cum *inimicitiis, contentionibus, invidia, animositate, litigationibus*, &c. eadem nempe malignitate perniciosam, connumerat. Idem *Titum*, c. 3. v. 9. monet ut *quæstiunculas & lites fugiat*, & deinde *hominem Hæreticum devitet post unam & alteram monitionem, cum appareat ejusmodi hominem perversum esse, & à se condemnatum:* hoc autem nisi de *pertinaciter litigiosis* dici non potest. Nec enim quenquam à dogmate divellere monitiones mille possunt, nec sinceritatis suæ sibi conscius se condemnare: sed nimiæ contentionis quilibet & sibi & aliis manifestus esse potest. 1 Cor. 11. 19. *Schismata* fuisse inter *Corinthios* queritur, & *expectandas Hæreses ut sinceri dignoscantur. Hæreses* scilicet quæ *Schismata* generent, quod non nisi inter litigiosos fieri potest.

Ipse etiam *Paulus* ejusmodi *Pravitatis Hæreticæ reus* agitur, *Act.* 24. 5. Utpote *pestifer*, & *seditionem excitans apud omnes in toto orbe Judæos & Hæresis Nazarenorum primarius*.

Hucuſque *Pravitas hæretica*, non *Heterodoxiæ* ſimplici, ſed *Deviti litigationi* imputatur. Unicus reſtat textus, qui eam ob materiæ atrocitatem damnat, ſed etiam citra hæreſin damnandæ. Habetur autem 2 Pet. 21. 1. *Hæreſes introducunt exitioſas, Dominum qui eos redemit abnegantes.* Homines ſane iſtiuſmodi non propriè *Hæretici* dicendi, ſed *Apoſtatæ*; nec Chriſtianus habendus qui eorum cauſam egerit; nec aliter damnantur *Hæreſes* quam quatenus dogmata exitioſa, *Heb.* 10. 20. Quod eo apertiùs patebit, ſi à *Generalibus* deſcendamus, quæramuſq; quid ſit illud *Adæquatum Fidei Objectum*, neceſſario credendum, ut Promiſſum vitæ æternæ præmium adipiſcamur.

Quod ergo de *Agendis*, idem jam de *Credendis* dicendum. Hic etiam *Tabulam* ſuam duplicem habet *Novum Pactum*; *Conjunctim* ſumpta, Una videtur; *Diviſim*, duas habet partes; *Diſtinctas* quidem ſed *Inſeparabiles*.

1. *Perſonæ*

1. *Personæ Christi* adhibendam Fidem ipse enunciat, Joh. 3. 16. *Ita mundum dilexit Deus ut unigenitum dederit, & quisquis in eum credit non pereat sed vitam æternam habeat.* Et *Johannes* ideo se ejus facta & dicta scripsisse profitetur, *ut credamus Jesum Christum esse Dei filium, & credentes vitam per nomen ejus habeamus.*

2. *Christi Promissa* credentibus; idem promittitur præmium. D. *Paulus* exordio illo solennissimo qua accuratissimæ de *Resurrectione (Christi* & inde nostra) diatribæ præfatur, *hoc esse Evangelium quo salvandi sumus, &c.* proclamat: & *Pharisæos cum Sadducæis* committens, non Veraciter minus quam Solerter professus est, se *ob spem Resurrectionis reum agi.*

3. *Utrisque conjunctim* idem promittitur præmium, Rom. 10. 9. *Si ore confessus fueris dominum Jesum, & corde credideris Deum illum à mortuis suscitasse, salvaberis.* Separari ista nequeunt, Qui credit Deum à mortuis suscitasse dominum Jesum, hunc illius filium esse necessario credit: hoc qui credit, eum

promissis suis non defore, necessario crediderit.

En jam authenticum credendorum *Catalogum!* Fidei non *Articulos* tantum Fundamentales, sed integrum *Corpus!* Qui hæc credentibus vitam promittit, aliorum necessitatem non esse, Tacitè quidem, sed Efficaciter insinuat: qui ulteriora exigit, ipsum *Dominum* ipsiusque *Apostolum* falsi insimulat. Si enim supponamus (quod utinam supponendum non foret) quenquam hæc (ut maximè duo) fide indubiâ credere, in aliis errare; Salvandumne censebimus, an Damnandum? si Salvandum, tum in aliis erroribus nihil periculi: si Damnandum, tum ipsi *Christo* & ipsius *Apostolo*, non tantum Fidem debitam detrahemus, sed & in os contradicemus.

Hæc tamen ita intelligenda, ut de *Fide Evangelicâ* strictè sumptâ, & Fidei Universali contradistinctâ, accipiantur. Quod ergo supra monuimus, hic repetimus; *subintellectu necessaria*, etiam non enunciata, necessariò *subintelligi.*

Quæ

Quæ de Dei perfectionibus, lumine naturali, *philosophis* innotuerunt, fidei *Evangelicæ* æque congrua & inservientia, utpote alio Dei verbo revelata, sarta tecta relinquimus; de Fide Evangelica, eis Contradistinctâ, sed Innixâ agimus: dicimusque duo illa Fidei Objecta viz. *Christi Personam & Effata*, cum separari revera non possint, posse tamen Abstractim considerari. Proinde nos cum Simplicitati studeamus, utrique distinctim quod suum est distribuemus.

Ut *Personæ* primas tribuamus postulat naturæ ordo; ut autem distinctiùs procedamus, considerandum, 1. *Quis ipse sit?* 2. *Quid sit in illum credere?*

1. *Quis credendus sit Christus?* ut distinctiùs perspiciamus, observemus illum ita *Dignitati* suæ consuluisse, ut discipulorum etiam *Capacitati* consuleret: eoque pro diverso manifestationis suæ gradu, aliam per se nondum mortuum, aliam per *Apostolos*, post Resurrectionem fidem exegisse.

Dum

Dum enim mortalis inter mortales versatus fuit, *filium se Hominis* professus eum se esse enunciavit, de quo Dan. 7. 13. *Ecce Filio hominis similis cum nubibus cœli, &c.* Completum fuisse tempus, adventare regnum Dei, seq; filium illum Hominis, & Messiam esse, semper data occasione inculcavit, ejusque Fidem ad salutem necessariam esse denunciavit.

Ita enim Joh. 8. 24. *Nisi me credatis* [illum] *esse in peccatis vestris moriemini.* Multitudo cum *Hosannis* ovantes proclamarunt *Beatus* ὁ ἐρχόμενος. *Johannes Baptista* duos è suis misit, sciscitatum *an esset* ὁ ἐρχόμενος *an expectandus alius?* Ipsi etiam *Judæi circumierunt eum & dixerunt, Quousque animum nobis eripis? Si Christus sis aperte edoce.*

Multa & magnifica de *Messiâ* prædixerant *Prophetæ*, Tempus jam completum esse ex ipsis prædictionibus innotuit, flagrantissimâ Expectatione regni cœlestis ardebant: Jesus se illius regni regem professus, agnoscendum postulavit, & vitam æternam credentibus promisit.

*Splendida*

*Splendida* quidem iſta, ſed ipſo ſplendore *Obſcura.* Sicut enim *Sol* oculos illum intentè intuentes *præſtringit*, alia ſpectantes *juvat*; ita indefinita illa de *Chriſto* elogia, Fidem de illius *Perſona* particulariùs curioſam confundunt, de illius *Dictis* credendis inſtruunt.] Inde enim patet.

2. *Quid ſit in Chriſtum credere?* Sic enim ipſe docet, *Joh.* 12. 35. *Jam ad tempus breve vobiſcum eſt Lux, dum Lucem habetis, Luci credite, ut Lucis filii ſitis*, h. e. Quam Viator luci fidem adhibet, eandem vos mihi præbete. Viatoris autem eſt, non de lucis *Natura*, ſit ne Subſtantia an Accidens? nec de Solis *Magnitudine*, ſitne patinæ ſuæ æqualis, an totâ terrâ major? nec de ejus *Diſtantia*, ſitne unico an multis milliaribus remotus? nec de aliis Problematibus quicquam vel Credere vel Quærere; ſed ita greſſus ſuos dirigere, ut illa ſuadebit; idque ea cum *Confidentia*, ut nec toti generi Humano vel Angelico, fidem contrariam tribuat. Hinc duplex debetur Fides 1. *Reſpectu mundi*, ut ejus *Soli.* 2. *Reſpectu Dei*, ut ejus *Unigenito*.

1. *Respectu mundi*; Solem ideo lucere ut mundo benefaciat, non minus ipſa luce clarum: nec minus manifeſtum; *æque* (ne dicam, *magis*) *Viatori* in itinere, ac *Philoſopho* in muſæo, benignè & utiliter lumen ſuum communicare.

*Practica* hæc eſt, quam poſtulat *Chriſtus* fides: hanc ut haberent diſcipuli ſui, ita ſe ad eorum capacitatem exiguam, ut *Elias* ad puelli dimenſiones, contraxit. Hac ulteriorem ideo nondum exegit, quia nondum *Reſurrectione*, divinitatis indicium dederat; ulteriori autem præludere his verbis viſus eſt, *Multa habeo vobis edicenda quæ ferre non poteſtis: quum autem venerit Spiritus veritatis, ille vos in omnem veritatem diriget.---Ille me glorificabit: mea enim recipiet & vobis commonſtrabit.*

Hæc ideo dixiſſe *Chriſtum*, quod *divinitatem* ſuam aſſerere nondum tempeſtivum foret, ſicui minus manifeſtum videatur; hoc certe dubitandum non eſt, *Fidei* menſuram cum *Evidentiæ* augmentatione augendam eſſe: eoque conſiderandum nobis, non *quantillum* acccipere

accipere dignata ſit domini noſtri *bonitas*, dum in terris ageret ; ſed *quantum* poſt *Spiritus ſancti* deſcenſum, *Apoſtoli* debitum eſſe docuerunt. Omnia enim *Argumenta* à Chriſti dignitate deſumpta, eo majore vi pollebunt, quo ille major agnoſcetur.

Ut ergo *Salvatori* gratitudo & obſequium, Caritas *Fratri*, Omnia Pietati debita vi ſua potiantur ; ea ſacrarum literarum dicta, quibus non tantum *Dei Unigenitus* à ſe nuncupatur, ſed & *ipſe Deus* ab *Apoſtolis* enunciatur, ſenſu quam licet altiſſimo recipienda.

Proinde cum hinc *Scripturæ Sacræ* utraque pagina, *Lumen Rationis* clariſſimum, omnium ubique gentium Conſenſus, unanimi voce clamitent, *Deum non eſſe niſi unum* : inde autem *Apoſtoli*, *Chriſtum* non tantum Hominem eſſe *Divinum*, ſed ipſum etiam *Deum* enuncient : effugere jam non poſſumus, quin vel *Apoſtolis* dicam impingamus, vel *Chriſto* deitatem aſcribamus.

Hoc

Hoc autem quomodo jure fieri posſit, ut diſquiramus, enucleandum celebre illud & tantopere agitatum *Sanctæ Trinitatis in Unitate Myſterium.*

---

PARS

---

# PARS SECUNDA.

## CAP. I.

## De Myſterio Sanctæ Trinitatis.

I. *Gentilium ſapientes omnes unicum eſſe Deum crediderunt.* II. *Trinitas à Galeno credita.* III. *A Platonicis edocta. Teſtamentis tam Vetere quam Novo revelata.* IV. *Ab Eccleſiis Reformatis explicata & Pietati utiliſſima.* V. *Subtilitatibus Sophiſtarum Platonicorum & Patrum Chriſtianorum in Myſterium commutata. Primo propter diſſenſiones de ſenſu vocis Homouſios in Symbolo Niceno. Inde de charactere communi an Hypoſtaſes ſint ut Græcis, au Perſonæ ut Latinis placuit.* VI. *Modernum Myſterium inter Scholaſticos, Reformatos & Unitarios.*

HOC

§ 1. HOC ut accuratiùs contemplemur, ex Axiomate primo ab *Univerſali* Religione ad *Chriſtianam* procedendum ; quod ut tutiùs fiat, cavendum imprimis ne *Vulgarem* cum *Univerſali* confundamus.

Diſtincta hæc eſſe, ut Philoſophi omnes *Græci*, ita *Romanorum* eruditiſſimi, palam profeſſi ſunt. *Scævola* Pontifex inſignis, *expedire in Religione falli civitates : Varro* antiquarius egregius, *multa vera eſſe quæ vulgo ſcire non ſit utile; multa, quæ tametſi falſa ſint, aliter æſtimare populum expediat.* Sub *Vulgari* ergo Religione, non tantùm, Poeticam ſed & Politicam, recte explodit *Auguſtinus*, dicens *& Civilis & Fabuloſa ; ambæ fabuloſæ ſunt, ambæque civiles.*

Miſſa ergo illa *Vulgari*, *Veram* nos & *Naturalem* ( à Philoſophis dictam ) conſideremus ; quæ hoc maxime à *Fabuloſa* & *Civili* diſtinguitur, quod hæc *Unicum*, illa *Complures* deos colat.

Omnes enim omnium Gentium & Sæculorum Philoſophi *Theiſtæ* (unum

&

& alterum *Atheum* non eſt quod moremur) unanimi voce *Deum* docentes *Unicum*; de ejus Attributis eadem lumine *Naturali* quæ nos *Evangelico*, ita diſſeruerunt, ut cum vulgo loquentes cum ſapientibus ſenſiſſe pateat.

De ſingulis hoc probare, æque ſuperfluum ac longum. Sufficiat D. *Paulum* audire, qui Gentes cum *Polytheiſmi* accuſat, *veritatem in injuſtitia retinuiſſe* teſtatur ; *cum Deum ſcirent, non ut Deum coluiſſe, creaturam* παρὰ τὸν κτίσαντα *præter Creatorem coluiſſe*, h. e. cum *Unicum* eſſe certo ſcirent, cultum tamen Religioſum ad *Creaturas* etiam extendebant.

Idem *Apoſtolus* cum Athenienſibus diſſerens, eos non ſuperſtitionis *inſimulat* ſed ut δαιμονεστέρους *collaudat:* & quem quærebant Deum ignotum, ita demonſtrat, ut Poetam *Græcum* eadem ſentientem recitet : nec *Philoſophorum* de Deo fidei quicquam Detraxit, ſed *Jeſum & Reſurrectionem* Addidit.

Hoc jam poſito fundamento, quærendum quomodo cum eo conſiſtere poſſit Perſonarum divinarum *Trinitas:* in qua etiam diſquiſitione à *Simpliciſſi-*

*mis*

*mis* ordiendum Religionis Univerſalis *Elementis.*

§ II. NEC facilè uſpiam meliorem *Galeno* (non ſanè Chriſtiano) Magiſtrum inveniemus. Is libro de uſu partium tertio, ſic diſſerit: *Equidem exiſtimo veram Pietatem & Religionem erga Deum, non in hoc conſiſtere, ut hecatombas ſacrificem, aut incenſa multa adoleam, ſed ut ipſe agnoſcam & alios edoceam, quanta ſit ejus Sapientia, quanta Potentia, & quanta Benignitas. Quod enim totum mundum ita ornare vellet, nemini invidens illud bonum cujus capax eſſet, Bonitatis ejus indicium exiſtimo & inde ut Bonus collaudetur. Quod autem invenire poſſet, quomodo omnia optimè ornanda eſſent, Sapientiæ apex. Tandem poſſe Efficere quæ ita decrevit, ſummæ eſt Potentiæ.*

Hanc Galeni Trinitatem coluere & excoluere Platonici Dei Unitatem pro fundamento immobili inconcuſſo ſemper retinentes; eam tamen in *Tres Differentias* diſtinguunt, quas *Hypoſtaſes, Principia, Cauſas, Opifices, &c.* nuncupant.

1. Prima

1. Prima *Hypoſtaſis* eſt ὁ ὢν, ὂν ὄντων, τἀγαθὸν, φῶς ἀπλῦν, Πατὴρ, &c. Hunc immobilem ſtatuunt in ſolio, nihili indigum, exuberantiâ in omnia influentem.

2. Secunda eſt λόγος, νῦς, δημιυργὸς, &c. Dicuntque hunc ab illo generari, ita tamen ut ab immobili ſponte procedens, ſit quodammodo αὐτοπάτωρ. Eſſe autem Intellectum univerſalem, παράδειγμα, unde particularia omnia procedant. Sic enim, (inter alios) Numenius, *Non decet primum Deum credere mundi architectum, ſed patrem eſſe filii, qui Artifex dicitur, quia omnia machinatus eſt.*

3. Tertia eſt Activus, Immediatus, & quaſi Manualis *Opifex*, qui ad Exemplar opus perfecit.

Hanc de *Trinitate* doctrinam è *Moſaicis* ſcriptis hauſiſſe philoſophos gentiles, identidem jactitabant Græcarum Eccleſiarum patres; & *Euſebius* ea de re librum integrum, non ſane exiguum, diſertim ſcripſit; tam Judæorum quam Gentilium de hac doctrinâ conſenſum demonſtrans.

Nec

Nec ſanè diffitendum in ipſo Moſaicorum librorum limine expreſſa videri ejus veſtigia. I. *Patrem* loquentem. II. *Verbum* prolatum. III. *Spiritum* moventem. In aliis inſuper Veteris Teſtamenti libris idem apertiùs edocetur. 1. *Unum deum* eſſe omnium *Patrem* ubique inculcatur. 2. *Sapientia* apud *Salomonem* æternam ſibi cum patre præſentiam vendicat. 3. *Spiritus*, Sampſonem ad facinora miranda corroborat, *Saulem* ad prophetandum cogit, *In locis altis & ſanctis, & cum ſpiritu humili ad revificandum cor contritum*, habitare ſe profitetur. Hæc adeo *Judæis* familiaria, ut *Virgo* ſimplex Angelum, *Piſcatores* ineruditi *Chriſtum*, de *Spiritu Sancto* loquentes, promptè intelligerent.

In *Teſtamento Novo*, non expreſſa tantum *Veſtigia*, ſed *Facies* aperta: Iidem *Tres*, tam nomine quam Re iidem, *in cœlo teſtimonium perhibent. Pater*, λόγος, *& Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Tertius revera, nomine tenus alter, non opere. *Platonicis* ſcil. de ψυχῆ in partes diſciſſis, cum

*Animam*

*Animam* alii *Mundanam*, alii *Supramundanam* vellent, voce *Spiritus* ambiguitati præcautum eſt.

Hancce ergo Doctrinam, Lumine tam *Naturali* quam *Revelato*, *Teſtamento* tam *Vetere* quam *Novo* edoctam, ſumma cum Reverentiâ colendam, ſummo Studio excolendam, æſtimarunt Chriſtianæ Religionis primores; non ſane felicitate ſtudiis pari: veritatem enim dum Ornare ſatagebant, Occultabant.

§ III. HInc contentiones, rixæ, odia pluſquam millennalia, pari pietatis & caritatis facturâ.

Quum tandem *Romanæ* Eccleſiæ corruptiones ad ſuppurationem maturæ Reformatores heroicos flagitarent, & obtinerent; Eccleſiæ nonnullæ optimè *Reformatæ*, *Myſterium* hocce ita extricârunt, ut Veritatem Simplicem, Perſpicuam, nullis involucris implexam, ſed infimæ etiam plebi intelligendam, Lumini tam *Naturali* quam *Revelato* congruam, exhibuêre Confeſſiones publicas teſtor.

Gallica

Gallica Confeſſio Art. 2. ait. *Sacra Scriptura nos docet in illa ſingulari & ſimplice eſſentia ſubſiſtere tres Perſonas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Patrem videlicet, primam ordine cauſam & originem rerum omnium; Filium autem, ejus Sapientiam & Verbum æternum; Spiritum Sanctum, ejuſdem Virtutem Potentiam & Efficaciam, ab æterno ex Patre & Filio procedentem: quæ tres Perſonæ non ſunt confuſæ, ſed diſtinctæ, nec tamen ſeparatæ, ſed coeſſentiales, coæternæ, & coæquales.*

Confeſſio Belgica Art. 8. Hæc illis conſona habet. *Juxta hanc veritatem & Dei verbum in unicum ſolum Deum credimus (qui eſt unica eſſentia incommunicalibibus Proprietatibus in tres Perſonas ab æterno diſtincta) nempe in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Nam Pater quidem, Viſibilium omnium & inviſibilium cauſa, origo & initium exiſtit. Filius eſt Verbum, Sapientia & Imago Patris. Spiritus Sanctus vero Potentia eſt & Virtus quæ à Patre & Filio emanat, &c.*

*Anglica*

*Anglica* demum Confeſſio quæ nunc obtinet, initio à *Dei Unitate* ſumpto, in ea tres eſſe *Perſonas*, & eaſdem *Proprietates* diſertim profitetur.

Quid ſibi velit ubique occurrens vox *Perſona*, alius occurret criticè examinandi locus, Incumbit nobis impræſentiarum ipſius *Doctrinæ*, non *Vocis* examen ; & ſufficit, ſimplicem illius *Veritatem* tot à *priore* topicis, à Religione Naturali, Moſaicâ & Evangelicâ, (authoritate optimâ humanâ divinæ ſuffragante) petitis confirmâſſe.

Mantiſſæ tamen loco inſuper addimus, omnes Fidei *Fructus*, hac Trinitatis explicatione produci.

Si in Operibus ſuis contemplandus ſit omnium Creator, *Galenum* vidimus per hæc tria illum inveſtigantem & colentem : Si alia inſuper illius Attributa contemplari geſtiamus ; his tribus continentur omnia. PATER omnium Origo, Æternitatem, Immenſitatem, Infinitatem, Bonitatem, &c. complectitur. FILIUS Sapientiam, Veracitatem, Juſtitiam, &c. denotat. SPIRITUS SANCTUS Potentiam, Activitatem, Gratiam, indicat.

Si à Deo contemplando ad nos ipſos *Confortandos* deſcendamus: Deum fœlicitatem meam velle nullus dubito, qua *Pater* eſt, ſummè *Bonus*. 2. Nec metuo ne malum pro bono mihi per errorem tribuat, quia æque *Sapiens* eſt in bonis dignoſcendis, ac Bonus in volendis. Nec dubito de ejus *Potentia* ad ea præſtanda quæ ſuadet Bonitas, & dirigit Sapientia; quia æque Potens eſt ad exequendum, ac Bonus in volendo, & Sapiens in eligendo. Siquid horum deeſſe ſuſpicarer, infelix eſſem vel ipſo metu ne fierem; Jam autem ſummæ Confidentiæ nihil deeſt, nec ſterilis erit illa Confidentia, ſed Fructus Spirituales producet, Amorem, Lætitiam, Pacem, Bonitatem, &c.

Liceat jam Myſteriophilos Sancti *Jacobi* formula compellare, *Oſtende mihi Fidem tuam per opera*, non jam dico *Tua* ſed *Sua*. Quorſum *Tres Spiritus* ubi ſufficit *Unicus*? Quorſum *Relationes*, cum Relatio nihil agat? Quorſum *Intrinſecæ*, cum à mundo ſpectari non mereantur, quæ mundum omnino non ſpectant? Quorſum Tria *Quædam* credidero,

didero, ſi quænam ſint, aut quid agant neſcivero? Imo quorſum tota de *Trinitate Doctrina*, ſi nihil pietati conferat? Quorſum pro *Fundamento* Religionis ponitur, cui ſuperſtrui nihil Religioſum poteſt?

Hîc ergo me figo: Hîc *Eccleſiam*, Eccleſiam crepantes ſiſto. Quænam iſta tua, cui fides implicita præbenda eſt, Eccleſia? cujus Loci? cujus Sæculi eſt Eccleſia illa? Tu me edoce jactatæ tuæ *Eccleſiæ Sæculum*, Ego tibi oſtendam egregias in iſta *Eccleſia* Hallucinationes, imo *Corruptiones*: à quarto uſque ſæculo quo diſputari his de doctrinis cœptum, ad decimum quintum, quo Reformatæ ſunt corruptiones, non ſane decenter à viris Reformatis propugnantur, nedum imponuntur, corruptiſſimarum Eccleſiarum dictata, præſertim per Reformatores vel purgata vel rejecta.

Quomodo hic *à Simplicitate quæ in Chriſto eſt*, per *aſtutias ſerpentinas corrupti ſint* patrum Chriſtianorum *animi*, ut luculentiùs pateat, operæ pretium

erit *Sæculi quarti* & ſubſequentium acta oculo feſtinante percurrere.

§ IV. *SOphiſtas Platonicos* argutiis hypermetaphyſicis *Trinitatem* ſuam ſupra legentium captum ſublimâſſe, ex eorum ſcriptis patet. Hoc veræ Sapientiæ conduxeritne an obſtiterit, ita cenſuit eruditiſſimus æque ac optimus imperator *M. Aurelius*, ut inter beneficia divina de hoc gratias egerit, ſe *philoſophiæ ſtudio addictiſſimum in Sophiſtæ præceptoris manus non incidiſſe, nec illorum quæſtionibus ſe conturbâſſe, nec eorum ſcripta evolviſſe.*

*Sophiſtis Platonicis* in Diſputacitate ſucceſſerunt *Chriſtiani Eccleſiaſtici*; *Aurelio*, *Conſtantinus*, eodem in Imperio, at non eadem hac ex parte Fœlicitate. Potuit ille *Sophiſtarum* diſceptationes imperturbatâ animi & imperii pace, ſpectare & ridere. Hic autem, diſputantibus de *æterna filii generatione*, hinc *Alexandro Epiſcopo* inde *Ario Presbytero*, contentionibus longè latéque Eccleſias perturbantibus; Epiſtolam ad utriuſque partis ductores per Epiſcopum

pum sibi honoratissimum dedit, stilo paterno pariter & imperatorio exaratam; quæstionis utpote inanis & stultæ damnatricem; Rationibus, Hortationibus, Obsecrationibus omne genus argumentis, validam; At in cassum; *Concilium* tandem Generale convocavit, à quo post acres hinc inde disputationes conflatum est *Symbolum*, non tam Doctrinæ veritate, quam Vocis unius ambiguitate *Mysteriosum.*

Brevi enim inter *Eusebium* & *Eustathium*, de voce ὁμόυσι@ lis orta, de qua sic fatur *Socrates* Hist lib 2. cap. 18. *E variis Epistolis quas post Concilium Episcopi alter ad alterum scripserunt, perspicuè deprehendimus verbum* Consubstantiale *nonnullorum animos vehementer conturbasse . . . . . Intestinum bellum inter se ipsos excitarunt, atque ea quæ gerebantur, nihil à nocturna pugna discreparunt: nam minime omnino ab se mutuo videbatur intelligi, cur se inter ipsos maledictis concidere occæpissent.* En tibi *Mysterium!* At sequitur adhuc grandius.

*Etenim qui vocem* Conſubſtantiale *repudiabant, eos qui eandem receperant,* Sabellii *&* Monatani *opinionem de integro introducere cenſuerunt, & ob eam cauſam eos blaſphematores nuncuparunt, tanquam filii Dei* Eſſentiam *tollere molientes: Qui autem contrà, fidei* Conſubſtantialis *firmiter adhærebant; alios multos deos invehere arbitrati ſunt, eoſq; tanquam* Gentilitatem *inferentes averſati.*

En jam alterum *Myſterium!* Verbum *Conſubſtantiale* à *Sabellicis* in Symbolum introductum; ab *Arianis* ideo impugnatum, quod *Dei filio ſubſtantiam ſuam tollere* videretur. Quod & à *Valeſio* notatum: cum enim Hiſtoricus dicat *Cyrum* Epiſcopum Bereenſem *Sabelliſmi* convictum, gradu dejectum fuiſſe; annotat criticus ille eruditus, *propter doctrinam Conſubſtantialitatis, vel doctrinam Concilii Niceni, quod introduxit doctrinam de Conſubſtantialitate.*

§ V. Nec

§ V. NEC adhuc ceſſant *Myſteria*: Non enim de *Subſtantia* tantum vel Eſſentia ſed de *Charactere* communi decertatum, idque vivo *Athanaſio*: cujus laudes cum panegyricâ oratione celebraret ipſe celeberrimus *Gregorius Nazianzenus*, hanc præ cæteris extulit, quod Chriſtianum orbem imminente Schiſmate liberaſſet. Græci enim tres *Hypoſtaſes* dici volebant, eam autem vocem repudiabant *Latini*, ut *Arianiſmum* olentem: Latini *Perſonas* nuncupabant, hanc vocem recuſabant Græci, ut *Sabelliſmi* ſuſpectum.

Quomodo *Arianiſmum* ſapiat vox [*Hypoſtaſis*] docentem audivimus Socratem; Arianos ſcilicet ideo vocem ὁμοούσιον recuſaſſe, quod *Filium Dei ſubſtantia ſua ſpoliarent*, qui diverſam à Paterna habere judicarent; eademque ratione vocem [*Perſona*] recuſarunt, quod diverſam Subſtantiam non includeret.

*Latini*, è contra vocem Græcam [*Hypoſtaſes*] recuſarunt, quod diverſas *Subſtantias* dum ſaperet, *Arianizare* videretur,

videretur, cum voce ſuæ [*Perſonæ*] nihil ineſſet iſtiuſmodi periculi.

*Atque ita* ( inquit *Gregorius* ) *imminebat mundo periculum, ne per Syllabas diſtraheretur. Sed Athanaſius citò remedium applicuit. Benignè utraſque partes examinans : re vera conſentientes invenit, verbum indulſit, ad rem obligavit. Hoc utilius longis diſſertationibus, &c.*

At Sopitam tantum non Extinctam controverſiam ; ſed *eiſdem Syllabis* etiamnum diſtrahi orbem Chriſtianum, docet Experientia; cumque ad illius ſæculi authoritatem fiat appellatio, inde petenda ſunt & *Syllabarum* ſenſus, & litis *Syncretiſmus*.

*Græci*, quid per [*Hypoſtaſes*] vellent, è Conciliorum ſuorum per voces homonymas paraphraſibus liquido conſtat. Sufficiat unum memoraſſe, quia maximum & celeberrimum, à *Juſtiniano* convocatum, & præſentiâ, imo interlocutione ſua honoratum, *Conſtantinopolitanum ſecundum*; ubi frequenter occurrit vox [*Hypoſtaſis*] voci [*Perſona*] in divina *Trinitate* æquipollens. Hujus

Concilii

Concilii Canon primus hæc habet, *Siquis non confiteatur Patris, Filii, & Spiritus Sancti Unam Naturam, sive Essentiam, & unam Potentiam & Potestatem, Trinitatem Consubstantialem, Unam Deitatem, in Tribus* Hypostasibus, *aut* Personis *adorandam, Anathema esto.*

Nihil jam apertius quam hæc duo: 1. Voces Hypostasis & Persona eo sæculo ab Ecclesia Græca pro Univocis habitas. 2. Utrasque illas voces voci *Proprietas* Univocas, eoque tres *Personas* nec *Ariano* sensu pro tribus *Substantiis*, nec *Sabelliano* pro tribus *Nominibus*, sed *Medio* inter utrosque sensu, pro tribus *Proprietatibus* accipiendas.

Superest ut *Latinam* jam vocem, an eum sensum capiat, examinemus. Si hoc criticè agamus, audiendus erit, Latinæ linguæ Dictator, *Cicero*; qui *Offic. l.* 3. *c.* 20, 22. quasi consulto hæc habet: *In quolibet homine Personas reperiri quatuor.* 1. *Naturam Rationalem*, qua à Brutis distinguitur. 2. *Proprietates particulares* (corporis vel animi) quæ Rationalem naturam hanc ab illa distinguunt. 3. *Vitæ circumstantias*,

quibus alius Dives alius Pauper, &c. 4. *Professionem & Vitæ Institutum,* quæ alium Jurisperitum, alium Theologum, &c. constituunt.

An sensui hic *Critico* respondeat *Ecclesiasticus*; ut illic maximum Dictatorem *Ciceronem*, ita, hic maximum *Augustinum* consulamus. Is de Trinitate *lib.* 7. *cap.* 4. Vocem *Personam* ita Commendat, ut Excuset: *Loquendi & Disputandi necessitate tres* PERSONAS *appellare licet, non quia Scriptura id dicit, sed quia non contradicit.* Et cap. 9. *Cum quæritur quænam sint Tria, lingua nostra extremas angustias patitur, tres tamen* PERSONAS *dicimus, non quia id dici debet; sed quia aliquid dicendum est.* Voluisse illum patet, non ut Doctrina Voce mensuretur, sed ut Vox Doctrinæ accommodetur: Deinde cum ad *Doctrinam* ipsam explicandam accedit, non Vocis vim, sed magni Viri (*Hilarii*) verba, brevitate obscura, non per Evidentias Coactivas, sed Conjecturas explicat: & per dissertationem satis amplam, tres *Personas* ad tres *Relationes*, easque *inter se terminatas* redi-

git.:

git: tandem *Aphoriſmo* illi diſſertationi non admodum congruo, in hæc verba totum contrahit *Æternus, Sapiens, Beatus: hæc tria ſunt Trinitas, quæ appellatur Deus.*

Quo Aphoriſmo cum *Græcis Eccleſiis* conſentit, Vocem [*Perſona*] voci [*Hypoſtaſis*] utramque Voci [*Proprietas*] in Divinâ Trinitate æquipollere: Nos tanti patris authoritati ita hic aſſentimur, ut in *Proprietatibus* aſſignatis, tam *Illius* quam *Concilii* ſupra laudati decretis, *Confeſſiones Eccleſiarum Reformatarum*, utpote temporum acceſſu maturiores, præferamus.

§ VI. JAmque aliud oritur inter Modernos *Myſterium*: *Scholaſtici* (qui in *Auguſtini* verba, hic ut ſemper, jurarunt) *Aphoriſmum* ejus, quem recitavimus brevem prætermittentes, *Argumentationibus* amplis attendentes; pro data occaſione, aliquando *Sabellizant*, aliquando *Arianizant*, nunquam in medio conſiſtunt. [l] *Diſtinctio Perſonarum* (inquit *Aquinas*, part. 1. quæſt. 40. art. 2. prope finem) *non debet eſſe niſi*

*nisi per id, quod minimum distinguit, hoc est, per Relationem.* Ubi tamen Transsubstantiatio propugnanda est, *Contradictiones* à nostris oppositas, non Aliter, certè non *Frequentius*, quam *Recriminatione* amoliuntur. Tum scil. Tres Personæ sunt tres Substantiæ: Tum urgetur *Personæ* definitio, *Singularis substantia intellectualis, ab aliis omnibus distincta.* Dissimulatâ interim eâ parte definitionis dimidiâ, qua eundem hominem ab omnibus aliis distingui, non per aliam *Substantiam,* sed alias *Proprietate*, docentem audivimus *Ciceronem.*

Nostri interim quid? Mysterii scilicet Majestate perculsos, veritatis *nudæ & simplicis* vel pudere vel pigere videntur. Omissis scilicet Ecclesiarum Doctrinâ cuilibet intelligibili, *Mysteriosas* argutias terminis *Mysteriosis* fovent, dumque ejusmodi *Subtilitatibus* ora adversariis Obstruere satagunt; *Socinianis,* imo *Deistis,* imo *Sibi* invicem ipsis, Aperiunt.

Pauculis

Pauculis retro annis *Athanaſii Symbolum* Impugnarunt *Unitarii* ; Propugnavit vir celeberrimus, hypotheſi non admodum felice ; *Perſonas* in *Deo*, tres *Spiritus*, tres *Mentes*, tres *Subſtantias*, affirmans : Huic (præter ipſos Unitarios) ſe oppoſuit vir alter ſummè eruditus, *Patrum*, *Eccleſiarum*, *Conciliorum*, *Scholaſticorum* Suffragiis, non eſſe niſi tres *Relationes Internas*, & exiſtendi *Modos*, comprobans; & *Subſtantiarum Trinitatem Tritheiſmi*, argumentis validis incuſans : Utraque pars *Eccleſiam* crepuit, utrique indies accedunt eruditi, nec quicquam frequentius occurrit, quam hac de lite Diſceptationes.

Hinc *Trinitarios* in *Reales* & *Nominales* diſtinguunt *Unitarii*; & præter conſuetudinem ſuam, *Myſticè* agunt. *Eccleſiam & Nominales* ſecum conſentire gloriantur, *Concilii Lateranenſis* authoritatem ſatis Pontificaliter jactitant, interim tamen *Nominalium* hypotheſin deriſui exponunt. *Si* (inquiunt, *Scholæ & Nominales dixiſſent Deum tres Perſonas eſſe ob tres Relationes* Extrinſecas,

trinſecas, i. e. *tres ad creaturas Relationes, poſſet utique hoc intelligi, quia homo idem poteſt tres ad alios Relationes habere . . . . . at de tribus [Internis] Relationibus loqui, eandem Subſtantiam intellectualem, Ingeneratam eſſe & Generatam, à nullo eſſe & à duobus procedere; Patrem aſſerere & Filium, cum præter ipſum, alius non ſit cui alterutrum relationem habeat; hoc enimverò nugatio eſt adeo miſera, ut Realiſtis intoleranda videatur; dum alii Philoſophum qui ſemel tantum riſiſſe dicitur, hac occaſione id ſecundo facturum fuiſſe opinantur.*

Sunt qui ejuſmodi dictorum Authores, *Eccleſiam & Nominales* etiam dum *jactare* videntur, *ſubſannare* exiſtiment. Ego vero viros exiſtimaverim probos & ſinceritatem præ ſe ferentes, *Unitatis in Deo* ſupra omnia zelotas; cum alios, antea ſuſpectos, ſecum eo in dogmate concurrere compererent, exultabundos in eorum amplexum impetu ruiſſe, nec ea in ecſtaſi attendiſſe, quod mox queſti ſunt, *eas Trinitatis explicationes, ſi Incarnationi applicueris, cum aliquo ſenſu reconciliari omnino non poſſe.*

Aliter

Aliter ſenſiſſe *Eccleſias Reformatas*, per Confeſſiones utrumque conjungentes liquido conſtat. De *Relationibus* ſuis *Internis* viderint alii: *Externas* ab *Eccleſiis* doceri, & ab *Unitariis* rationi conſonas agnoſci jam perſpeximus.

Procedamus ergo & *Incarnationis* doctrinæ ita eas applicemus, ut *Unitariis*, vel ſaltem Cordatis, hac etiam ex parte ſatisfaciamus. Hoc ut agamus, primo probabimus Chriſtum, Deum eſſe, quia ſecunda eſt in Deo Perſona. 2. Secundam illam in Deo Perſonam, ita naturæ humanæ in Chriſto unitam fuiſſe, ut ille verus Deus ſit.

---

CAP.

## CAP. III.

## De Deitate Christi.

I. *Quis sit* Λόγ☉ *apud Johannem.* II. *Verba Johannis cum Platonicis, conferuntur, & ab Unitariorum enervationibus defenduntur.* III. *Propositionis copula* ἐγένετο *novum aliquid significat.* IV. *Propositionis Prædicatum, Caro. Apostoli Pauli cum Johanne Consensus.*

§ I. PErſonarum in Uno Deo Trinitatem, ritè explicatam, Myſterium non eſſe, ſed veritatem Religioni Univerſali, Moſaicæ, & Chriſtianæ communem demonſtravimus. Incarnationis doctrinam Johannes pari cùm Brevitate tum Perſpicuitate

ſpicuitate & Solennitate Chriſtianæ fidei ſummam continere denunciat *c.* 1. *v.* 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Quæ quidem Propoſitio, utcunque Cetagorica, cum qualibet parte oppugnetur, qualibet etiam propugnanda: Subjecto probatur *Chriſti Deitas*; Prædicato, ejus *Humanitas*.

*Subjectum* Propoſitionis eſt ὁ λόγος, qui quis fuerit, ſummâ cum Magnificentiâ, & ſtilo ſublimi prædicat *Apoſtolus*, vix intelligendus ni pari curâ vocis illius indagini incumbamus. Eſt enim *Technica*, nec à *Lexicographo*, alio ve Scriptore vulgari, ſed ab illius ſæculi *Eruditis*; petenda illius ſignificatio.

Cum enim in proclamatione adeo ſolenni, nec *Jeſus* nominetur, ut in Circumciſione; nec *Chriſtus*, ut in *Evangelio* ſæpiùs; nec *Meſſia*, ut apud *Prophetas*; nec ullo alio nomine alibi uſitato; ſed loco nominis *Charactere* nunc unicè uſurpato; hoc ſane ſingulare quid & *Myſticum* ſapit, induſtria quam poſſumus maximâ, expiſcandum.

*Platonem*

*Platonem* eruditioni capeſſendæ, *Ægyptum*, *Syriam*, &c. ſe contuliſſe memorant philoſophorum Biographi: In Judæâ, *Moſis* ſcripta evolviſſe; & inde *Trinitatis in Dei Unitate* Myſterium hauſiſſe, jactaſſe diximus Patres *Chriſtianos*.

Prædixit *Moſes*, *Dominus Deus tuus eriget tibi Prophetam mihi ſimilem, in medio tui è fratribus tuis, illum audies*. Hujus *Prophetiæ* vel honorem ſibi captaſſe, vel *Spem* ſuis præbuiſſe videtur *Plato*, cum dialogum integrum componeret, (*de Voto*) in quo cum de ignorantiâ humanâ, quid à Deo petendum eſſet neſciâ, ſatis amplè diſſeruiſſet; exultabundus tandem concludit, *oriturum aliquando, qui omnia Deum & Homines ſpectantia edocturus, eoque votis ardentiſſimus expectandus ſit*. Si *Solomonis* etiam ſcripta inſpexerit, obvium eſt, ea de *Sapientia* inde hauſiſſe, quæ de λόγῳ ſcripſit.

*Græcia* autem non ingrata, quam à *Judæa* per *Platonem* mutuata eſt eruditionem, cum fænore reddidit; ſive per *Alexandri* aulicos, ſive per aliud

commercium

commercium, certum eſt *Hebræos* eadem cum *Græcis* de λόγῳ diſſeruiſſe. Utcunque *Rabbinorum* ſive incuriâ, ſive ſtudio, multa veterum, ( utpote linguâ Græcis ignotâ) ſcripta interciderint; abundè tamen reſtant, quæ in *Meſſia* celebrando planè Platonizaſſe veteres *Hebræos* demonſtrant.

Mitto *ſeptuaginta* interpretes, mitto *Targum* utrumque mitto *Paraphraſtn Caldaicam*, voci *Jehovæ* λόγον plerunq; adjicientes, tanquam immediatum actionis authorem. Ad *Calcidium* provoco Platonis *Inneum* enucleantem ; qui ex illius animo dicit, *Et* λόγος *dei Deus eſt, humanis rebus conſulens, quæ ſapientiæ cauſa eſt hominibus, ſi non conceſſam ſibi à ſummo deo munus negligant :* quæ ſane verba dialogum ſupradictum *de voto* confirmant, & doctrinam Chriſtianam explicant.

Quid, quod *Celſus* eorundem *Judæorum* placita recenſens ait, *Si apud vos* λόγος *ſit deus filius & nos laudamus.* At ſiquis ipſi *Johanni* coævus (præſertim eruditus) *Judæus*, eiſdem ſyllabis eundem *Logum* celebraſſet ; coincidentiæ

certe

certe illius rationem, aliam reddere non possemus, quam hancce, viz. utrumq; eodem *Platonismo*, eâdem *Phrasi*, eundem *Messiam*, hunc Expectare, illum Annunciare.

§ II. QUin ergo procedamus & verba Johannis cum Philonis Judæi dictis conferamus, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος Philo de prof. *Divinus hic* λόγος *omnium supremus visibiles species non habet, quibus cuiquam visibili assimiletur; sed ipsa est imago, omnium antiquissimus, altissimo proximus, inter quos nihil intermedium est.* Idem de agric. χαρακτὴρ θεοῦ. Idem de leg. all. lib 2. εἰκὼν θεοῦ. Hæc Platonicis congrua, docentibus necesse esse ut λόγος ita *coexistat deo, ut sola alteritate differens.* Plot En. l. 1. c. 6.

His paraphrasin suam opponunt qui se *Unitarios* appellitant, *Tam Moses* (inquiunt) *quam Johannes intelligendi sunt, ut referantur eorum verba ad subjectum de quo scribunt. Johannis Subjectum est Evangelii status & œconomia, Mosis subjectum est Creatio primorum humani generis*

*neris sæculorum: Moses ergo vult solam mundi originem, Johannes status Evangelici originem.*

Itane vero *Mosis* & *Johannit* idem sensus? Eisdem (fateor) *Syllabis* constat prima utriusque clausula, quæ tamen eandem utrinque vim habere non potest, quia non eandem Constructionem. Mosis Propositio fuit *In principio creavit Deus cœlum & terram*: nunquid Johannes eadem forma dicit, *In principio ὁ λόγος instituit Evangelii œconomiam*? Imò, nonne quater sine ullâ ad prædicatum transitione, in Subjecti *Existentia* terminatur? Sanè, si eadem formâ de Creatione locutus fuisset *Moses*, qua *Johannes* de Logo, miratum habuisset *Longinum*, sed sensu contrario, nec effatum prædicasset *Deo* dignum, sed risisset *homine* indignum.

*Tam Mosis* (inquit) *quam Johannis verba ad Subjectum referenda.* Esto, *Mosis* Subjectum fuit *Mundi Creatio*; ubi Creatoris Existentia non *Enuncianda*, sed *Supponenda*: at *Johannis* Subjectum non est *Existentis Actio*, sed ipsa *Existentia*:

*Existentia:* non ergo Transitivo sed Substantivo verbo opus: & completur propositio categorica, nullâ actionis mentione: Nec semel tantum, sed quater inculcatur Propositio, tam Logices regulis completa, quam Religionis studiosis amplectenda. Nunquid tanto montis nixu nil aliud producitur, quam hoc egregium, sc. *Agentem in Actionis suæ initio extitisse?*

Quid quod vox Ἀρχῇ Relativa est, & Correlatam postulat; si particularem, tum indicanda est illa particularis, ut dignoscatur quid sit, de cujus initio sermo habetur. Sine tali Correlato Affirmatio *Indefinita Universali* æquipollet; eritque initium, non hujus vel illius, sed simpliciter *Omnium.* Si enim aliquid ante λόγον existeret, tum non λόγος, sed illud præexistens ab initio foret.

Hoc à Judæis creditum ex ipso Solomone patet, *Prov.* 8. 21. Ubi idem λόγος personam agit, & æternitatem sibi his verbis vendicat, *Dominus me possedit in principio viæ suæ, ante opera ejus ab antiquo,* & ne in aliorum creatione, vel alio tempore (utcunque

vetere)

vetere) initium ſumpiſſe credamus, addit ab ÆTERNO conſtitutus fui, Ineffragibile hoc Apoſtoli teſtimonium ut effugeret *Socinus*, fabellam commentus eſt; in initio ſcilicet prædicationis ſuæ (vel forſan ante) *Chriſtum* ita in cœlum evectum, ut *Moſes* in montem evocatus fuerat, ibique à Deo edoctum, quid ſibi faciendum incumberet, eoque fuiſſe πρὸς θεόν.

At unde hiſtoriæ tam inſigni fides? Certè ſi vera fuiſſet, æquè apertè eam enunciâſſet Evangeliſtarum vel Apoſtolorum aliquis, ac illa cognitu digna, & conſequentiis fructuoſa foret. Sane ſe *à patre & cœlo Deſcendiſſe*, non ſemel profitetur ipſe, nominatim Jo. 16. 28. *A patre prodii & in mundum veni, rurſus mundum relinquo, & ad patrem migro.* At adeo promptè reſpondent diſcipuli, ut manifeſtum ſit, eos de unico tantum in mundum adventu cogitaſſe.

*Moſem* in montem evocatum, & *Paulum* in cœlos raptum, ideo credimus quia revelatum; eâdem inſuper confidentia hanc domini aſſumptionem crediturі, ſi pari teſtimonio confirmetur.

Cum

Cum autem jam nulla alia authoritate fundatam inveniamus, præterquam *Socini*, de dogmate ſuo anxii; pari facilitate ſubvertuntur Fundamentum & Superſtructio.

Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Philo quæſt. & ſol. λόγον affirmat θεὸν δεύτερον eſſe.

Ab eodem Unitario reſpondetur *Frequenter Dei titulo inſigniri Dei vicarios, Reges, Angelos, &c.* At ubicunque phraſis illa occurrit, periculo per ipſum contextum præcavetur; hîc autem ipſe contextus ſenſum maxime proprium flagitat, alterius minimè capax.

Articuli emphatici abſentia, utpote vero Deo proprii, objicitur; quod tamen ſermonis elegantiæ datum, facile perceperit, qui Apoſtolum catenatim procedere, eoque nudâ voce θεὸς, inchoandam illam clauſulam advertet. Nec verum eſſe, illud Unitarii dictatum, de articuli emphatici potentiâ diſcriminatrice, ex hac ipſa diſſertatione patet: verſibus enim 6, 12, 13, 18. Ubi de Deo ſummo agi manifeſte patet, omittitur; quod etiam ducenties

vicies

vicies in Novo Teſtamento, catalogo ſi opus eſſet, probare in promptu mihi eſt. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. *Philo lib. Chreb* Deum ſecundum docet eſſe inſtrumentum quo fabricatus fuit mundus. Idque ex placitis *Platonis, Numenium* enim reperimus, ita diſſerentem. *Non decet primum deum credere mundi Architectum, ſed Patrem eſſe Filii qui artifex dicitur, quia omnia machinatus eſt.* Et rurſus *primum deum* ἀργὸν *eſſe, & Regem omnium.* Et apertè ipſe Plato *ep.* 16. *ad Herminam,* Deum vocat τοῦ ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον. Quam Harmonié !

Nec ſemel enunciaſſe ſufficit, contrarii negatione confirmatur affirmatio, idque energeticâ οὐδὲ ἕν, ne unum quidem.

Paulus ab univerſalibus ad ſpecierum catalogum deſcendit, *ſive in Cælo* (ubi ſanè λόγος nuncium neutiquam egit) *ſive in terra. Inviſibilium* (at lux Evangelica nihil Inviſibile facit) *ſive Throni, ſive* &c. (Quibus tamen in Evangelio Præceptum nec Promiſ-

ſum datur. Et *Heb.* 1. Ideo Angelis præfertur Filius quod *Illi*, non *His*, dictum ſit, *Tu domine in principio fundamenta terræ poſuiſti, & cæli manuum tuarum opus.* Hæc ſiquis de Evangelii œconomia dicta imaginetur, pergat, & legat, *Illa pereunt, ſed tu permanes*,&c.

Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν.

Photinus λόγον affirmat, τὸ ὂν, οὐ νεκρὸν, οὐδὲ οὐ ζωὴ, οὐδὲ οὐ νοῦς, νοῦς γὰρ καὶ ζωὴ, καὶ ὂν ταυτόν.

Καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Phil. de op. mun. φῶς τὸ νοερὸν ἐκ λόγου.

Hâc lucis allegoria delectatum (cum Platonicis ) *Johannem* , demonſtrant quæ hic ſequuntur; Et quæ Epiſtolæ primæ *cap.* 1. ℣. 5. eâdem (forſan & major:) Magnificentia proclamat; nec minus illam cohonorat ipſe dominus, ut alibi, ita *Joh.* 12. μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι. & *Heb.* 1. Illum appellitat Apoſtolus ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Dei. Eodem etiam ſpeculo capti Platonici, ἀπαύγασμα περίλαμψιν, ἔκλαμψιν, &c appellitant.

Quod mundo viſibili *Solem,* id In-

Invisibili λόγον esse profitentur. Et sicut *fulgor* solis, nondum ab ejus corpore remotus, ab ipsâ solis *luce*, oculo nec nudo, nec telescopio adjuto, ita distinguitur, ut ipsa separationis linea assignari possit; in periphoriam autem diffusus, omnia lumine & vitâ fovet; ita λόγος sic à Patre emanat, ut cum eo semper unitus, vitam omnibus communicet.

Coronidis jam loco Eruditissimi nostri D. D. *Scot* τῦ πάνυ verbis primorum Johannis verborum explicationem claudo. . . . . *Ita à capite ad calcem S. Johannes de* VERBO *differit, & eadem phrasi ejus rationem reddit, qua & Gentiles & Judaici Theologi: ut necesse sit illum, aut eadem cum illis de eo sensisse. viz. Personam Æternam Divinam, aut velle ut mundus id credat: qui enim vel scribit vel loquitur, aut animi sui sensum simulat, aut id sentit, quod phrases vulgari sua significatione important.*

Siquis etiamnum dubitet, *Amelium* appello Ethnicum, Johannis nostri cum Platone suo consensum demirantem. Is enim cum in ea quæ jam pensavimus verba incidisset, consensum & ad-

 mirationem

mirationem suam his verbis profitetur, ..... *hic ergo ille λόγ☉ per quem semper existentem, ea extiterunt quæ facta sunt.* .....*& (per Jovem) quem Barbarus in principii ( ἀρχῆς ) ordine & dignitate collocat, apud deum esse, per quam omnia simpliciter facta esse, in quo id quod factum est, vivum & existens ortum est.*

§ III. QUÆ hactenus dicta sunt Religionem *Universalem* spectant, in qua cum *Johanne* consensisse tam *Gentiles* quam *Judæos*, eisdem syllabis eandem veritatem profitentes, patet. Quod jam de *Philosophia Naturali* & *Medicina* vulgò dicitur, *Ubi desinit Physicus ibi incipit Medicus*; idem de Religione *Naturali* & *Christianâ* dicendum, Ubi desinit illa, hæc incipit.

*Incarnationis* autem doctrina adeo proprie *Christiana* est, ut quod de *Trinitate* enunciavit nuperus ejus doctrinæ athletes, huic maximè debeatur; nempe, sine illâ Fide æque impossibile *Christianum* esse, ac *Hominem* sine Anima Rationali.

Hanc

Hanc jam fidem, cum Trinitariorum *Nominalium* hypothesi in gratiam reducere plane impossibile esse, jactitantem audivimus *Unitarium*: Eam autem in illa fundari, nec aliter comprehendi posse, imo ab ipso *Johanne*, hanc illi superstrui, superest ut demonstremus.

Huc enim versu demum decimo quarto ascendit: Ubi Propositio occurrit *Catagorica*, cujus influentiæ averruncandæ nequicquam insudat Unitarius noster. Vult (*h. e.* optat) ille vocem ἐγένετο, non *Factus fuit*, sed simpliciter *Fuit*, significare. Verbum (ait) *Caro factus fuit, quando factus fuit: quod implicat æque factum fuisse in Substantia ac in Officio. Sic Adam factus fuit anima vivens.*

At contrà, Moses de duplici *Adami* formatione loquitur, *Corporis & Animæ.* Prius è terra formatum, non hominem effecit *integrum*: at Deus illi in faciem inspiravit, & *Factus* est (quod antea non fuerat, licet antea aliquid fuerit) anima vivens. E parallela, λόγον ab æterno *Deum* fuisse prædicat *Johannes*; postea eundem *carnem factum*

 fuisse,

fuisse, æque disertè enunciat. Sic *Adamo* secundo cum primo convenit; uterque prius fuerat, quam id *Factus* esset, quod antea non fuerat; ille ad naturam *sublimiorem* evectus, hic ad *inferiorem* depressus.

At quantà pompâ, quas nugas agere Apostolum vult Unitariorum commentum! Quater solenniter proclamavit Apostolus quod ὁ λόγος ἦν. Postea de eo enunciat quod σὰρξ ἐγένετο· vocem tamen posteriorem ita cum priore univocam vult, ut illi nihil addat: idque reclamante ipso etiam *Apostolo*, qui post quater prædicatam Logi æternitatem, aliorum productionem voce ἐγένετο enuncians, & ad λόγον denuo rediens, eumque denuo voce ἦν prædicans, immediata hac vocum alternatione planissime demonstrat utriusque vocis vim, viz. voce ἦν simplicem *Existentiam*, voce ἐγένετο aliquid novum significare. Nec aliunde hujus rei exemplum quærere necessarium, quam hoc ipso contextu; ubi *v.* tertio Vox ἐγένετο productionem significat. *v.* 6. Eadem Vox pro diversa constru-

ctione

ctione alterutrum importat : ſi enim vox ἄνθρωπος ita cum adjectivo ἀποσταλμένος conjungatur, ut non interveniat vox ἐγένετο ſed ſequatur, tunc *ſimplicem exiſtentiam* ; ſi autem *Copulam* agat, tum *Miſſionem* ſimplici exiſtentiæ Additam ſignificabit. Ad perpetuam ſcriptorum omnium conſuetudinem provoco ; Siquando oſtendatur iſta vox ἐγένετο, inter ſubjectum & prædicatum, regularem propoſitionem categoricam (ut hic) conſtituens, ſimplicem tamen ſubjecti exiſtentiam denotans, manus dabo.

Ad Amelium redeo, nulli Chriſtianorum ſectæ addictum, ſed ab omnibus alienum: Is paraphraſi jam recitatæ, hancce huic propoſitioni addit, *Et in corpus delapſum, & carne indutum hominem, magnitudinem tamen naturæ ſuæ manifeſtaſſe, & Deum denuo factum ut prius fuerat quam in corpus & carnem & hominem deſcendiſſet, &c.* De λόγου *æternitate Platoni* conſenſiſſe Barbarum miratus, novam hanc doctrinam, de qua nec *Plato*, nec quiſquam alius ſomniaverat, mirabundus explicat, non jam

ex *Platonis* dictatis, sed *Johannis* ipsius dictis, legentes vi sua in illam interpretationem pertrahentibus.

§ IV. SUperest Propositionis Fundamentalis *Prædicatum* CARO: qua voce, *Christi*, non *Naturam humanam*, sed *Obscuritatem*, *Paupertatem*, *&c.* denotari, ab eisdem Unitariis contenditur.

Non jam moror, quod vox ἐσκήνωσε aliquid ulterius flagitat: quod voce ista *Judæis* diverbiali, id *Christo* à *Johanne* applicatur, quod Spiritui Sancto solitum ascribi; quod ex ista voce expiscatus sit *Amelius*, λόγον Deitatem suam resumpsisse, quia *Tabernaculum* domicilium est, non fixum sed mobile, quod vox ista Hebrææ vocis שכינה ne Translatio quidem sit, sed Transcriptio, & Apostolus ad Hebræorum Proverbia respexisse videatur, Shchinah non nisi viros bonos inhabitare dictitantium.

Nec hæc, nec quicquam aliud moror, *ad Apostolum Paulum* festinans, hunc *Johannis* sermonem luculenta commentatione

mentationem confirmantem. Hortatur ſcil. Philippenſes ſuos ut ſe ad exemplar *Chriſti* componant. *Phil.* 2. 6. Cujus textus vim ut eluderet *Unitarius* noſter, ſabellâ de ruſtico quodam præmiſsâ, hac paraphraſi pluſquam ruſticâ, argumentum *Apoſtolicum* vi ſuâ ſpoliat, *Ille cum in formâ & ſimilitudine Dei eſſet per Sanctitatem extraordinariam, & poteſtatem in dæmonas mirificam, non (ut Lucifer) animo concepit, eam impietatem & prædationem, eſſe Deo æqualem, ſed (è contrà) ſe vilem fecit, & induit formam conditionis ſervilis, miracula quæ fecit magna celando, & injurias & contumelias ferendo, ſine contradictione, &c.*

Poſt iſta, Contumeliæ *Apoſtolo* illatæ Orthodoxos accuſat, *Quaſi illum ſibi fœdiſſimè contradicentem exponant, cum æqualitas Relationem inter duos (ad minimum) importet. Mox Deum à Deo exaltatum ridet, quærens inſuper, quodnam ſit illud Nomen quod eſt ſupra omne nomen, &c.*

Fabellam de rustico ideo recitare non libet, quod à Lingua Anglica pendeat: malo Apostoli verba literatim in Latinum sermonem transferre Græco maxime consonum. *Qui in forma Dei existens, rapacitatem non existimavit* τὸ (ita enim in Græco) *instar Dei esse, sed seipsum exinanivit, Formam servi capiens, & in similitudine hominum factus, & in habitu inventus ut homo, humiliavit se, &c.*

Attendamus jam. Eâdem phrasi dicitur in *Formâ Dei* extitisse, deinde se exinanisse *Formam servi assumentem, & similitudine factum ut hominem, &c.* nunquid *Formâ* solum & *Similitudine* Homo fuit; cum eisdem Syllabis de *Formâ Dei*, & *Formâ hominis* procedat sermo, cur hic non idem significat; quod illic? cur toties inculcatur, *Forma servi, similitudo hominis, habitu inventus ut homo*, nisi ut *exinanitio*, majore exegesi illustretur? Vox insuper ἡγήσατο se vi sua spoliatam queri potest, cum non meram *Negationem* cogitationis, sed *Positivam* cogitationem importet; nec vox ἁρπαγμὸν jus suum obtinet

obtinet,cum nullo modo rapacitatis insimulari posset, si jure suo usus, formam sibi debitam retinuisset.

At ipse *Apostolus* paralogismi maximi hac paraphrasi insimulatur, *sit in vobis idem animus qui in Christo fuit*, qui cum Deus non esset, non (ut *Lucifer*) thronum Dei invasit, ergo vos posthabete quæ vestra sunt. Christus, cum supra humanam naturam nullam haberet, illam sumendo se exinanivit. Unde autem se exinanivit? certè nec *Sanctitate*, nec mirificâ *Potentiâ*, quas in forma hominis retinuit. Si nullo jure suo cesserit *Christus*, quid vult *Apostolus*,cum *Philippenses* hortatur,ut eodem animo res suas posthabeant: si in forma *Dei* non æque *verus Deus* fuerit, ac in forma *hominis* verus *Homo*; quomodo se exinanivit? aut qua forma non nominatâ?

Adeone imperitus disserendi Apostolus, ut verbis admodum periculosis, *Philippenses* suos blasphemiæ Objiciat, virtuti non Admoveat?

Ut

Ut punctim agamus, *Christus* Deitatem sibi vendicandi jus vel habuit, vel non habuit. Si *non* habuit, quomodo exemplar esse potest, ut vel *Philippenses* vel quivis alius, non *curet quæ sua sunt*? Sin illud jus habuit *Christus*, tum habemus *nos* quam asserimus *Veritatem*, *Apostoli* verba debitum sibi Sensum, ejusque Argumentum debitum *Pondus*.

---

CAP.

---

## CAP. VI.

### Incarnationis doctrina per Ecclesias Reformatas explicata.

I. *Theologorum Reformatorum ſocordia.* II. *Axiomata proponuntur decem quibus probatur ſecundam in Trinitate Perſonam Deum eſſe incarnatum.* III. *Hæc Hypotheſis retundendis objectionibus, aliis omnibus validior.* IV. *Syncretiſmum omnibus partibus gratiſſimum exhibet.*

§ I. HUcuſque, ut *Incarnationis* doctrinam utrinque creditam *ſtabiliamus*, principiis utrique *Trinitariorum* parti communibus egimus. Cum autem *Unitarii Nominalibus* in doctrina *Trinitatis* aſſenſum ita præbeant, ut cum *Incarna-*

*tione*

*tione* hypothesin eorum consistere posse negent; nobis jam incumbit Fundamentalem illam Doctrinam eâ super Hypothesi stabilire, quæ utramque inter se & cum veritate, quam amicissimè conjungat.

Hic autem *Theologorum* nostrorum socordiam quis satis demiretur! Odio internecino se mutuo prosequuntur qui se *Orthodoxos* jactitant, & *Socinianos* utrinque damnant; hinc *Nominales*, qui *Realistas* Tritheismi incusant; inde *Realistæ*, qui meras *Relationes*, easque *Intrinsecas*, rident. Utraque pars *Recriminatione* de se invicem triumphantes, Veritatem se cum Victoria reportare existimant. Et reportant sanè, sed mancam: Errorem utrique diruunt, at Veritatem non ædificant: & quid aliud è reciprocis victoriis sperandum, nisi inter se Contentionum, & ab adversariis Contemptûs perennitas?

Receptui interim canentes *Ecclesias Reformatas* pars utraque susque deque habet. Receptui (inquam) non *Trinitariis* tantum inter se, sed & utrisq; partibus cum *Socinianis*, ne ipsi quidem *Socino* respuendo. Pacifi-

Pacificam hanc Hypothesin, à meditatione propriâ mihi oblatam, aliquandiu timidiuscùlè amplexus, jam Ecclesiarum Reformatarum Suffragiis confirmatam audaciùs propugno.

Quum tamen viâ procedendum sit; optimo quidem Mercurio commonstratâ, sed ne unico quidem præeuntis vestigio pressâ, nedum multis tritâ, sine Duce, sine Comite, sed non sine Periculo; in re tanti momenti, & *Christi* honorem apprimè spectante, suspenso pede per Axiomata procedam; & demonstrare conabor

1. *Contra* Unitarios, *hanc Ecclesiarum Reformatarum Hypothesin, cum Incarnationis doctrinâ probè consistere.*

2. *Contra alios* Trinitarios, *eam melius cum illa doctrinâ consentire, quam ullam aliam Hypothesin.*

## AXIOMA I.

§ II. S*Apientia Dei in Deo æterna est.* Verum hoc esse à *Johanne* accepimus, & *Ratio* comprobat. Cum aliter vel fuerit aliquando Deus sine

*Sapientia,*

*Sapientia*, vel non fuerit *Æternus*.

Quod vero Deo *Essentiale* & *Inseparabile*, id utique *Deus est*: Non quidem *Adæquate* & Convertibiliter, h. e. non ita ut *Totam Deitatem* contineat; sed ita ut illâ contineatur; non tamen ut *Pars*, sed ut *Proprietas*. Ideo *Sapientia* Universaliter sumpta, *Deus* est. Sed non è converso *Deus* in totâ sua Essentiâ, *Sapientia* est; cum præter Hanc, alias insuper *Proprietates* habeat, æque *Essentiales*.

## Axioma. II.

*Quum Deus sine Sapientiâ esse non possit, æque necessaria illi est Sapientia ac Deitas sua.* Eoque sicut *Sapientia Physicam* quandam dependentiam habet ab originario omnium fonte; ita *Existentia* ipsius Dei Patris, *Logicam* quandam dependentiam habet à *Sapientiâ* suâ, sine qua ipse *Deus* esse non potest. Eóque licet *Pater* eò superior sit, quod *Ordine* prior; *Proprietates* tamen ejus ei æquales sunt, propter dependentiam mutuam.

Axioma

## Axioma III.

*Qui Proprietates Divinas à Deo & ab invicem Inſeparabiles eſſe credit*; poteſt in mente ſuâ ita eas à ſe invicem Diſtinguere, ut unam ſine aliis contempletur; eóque diſtinctim adorare, & (pro exigentiarum diverſitate) implorare, nunc *Patris Bonitatem*, nunc *Filii Sapientiam*, nunc *Spiritus Sancti Potentiam.*

## Axioma IV.

*Deus eſt Ens Perfectiſſimum.* Ens Perfectiſſimum *Spiritus* eſt. Spiritûs prima actio eſt, *Cogitatio.* Cogitatio formata *Verbum* eſt. Verbum, ſive internè Conceptum, ſive ad extra Prolatum, Cogitationis *Imago* eſt. Eóque *Verbum*, ſive Sapientia, Dei Patris *Primogenitus*, ſive *Imago* dici meretur.

Axioma

## AXIOMA V.

*De Spiritualibus differentes terminos à corporeis mutuari cogit Necessitas.* Ut suas tamen Proprietates Spiritualibus fartas tectas conservemus, flagitat Veritas. Ridiculum (spero) non censebit *Unitarius*, si in *Enthymemata* dicamus, *Consequens* ab Antecedente *Generari*; aut in *Syllogismo*, *Conclusionem* à *Præmissis Procedere.* Sit ergo hoc Antecedens *Deus infinitè Perfectus est*: Hinc sive *generantur* sive *procedunt* hæ Consequentiæ. 2. *Deus est infinitè sapiens.* 3. *Deus est infinitè Potens.* Nec tamen ad modum Corporum vel *generatur* hoc, vel *procedit* illud: Non enim per *motum* aliquem fit vel Generatio illa, vel hæc Processio; sed ita *Emanant* ut semper *Immaneant*; non tamen ut *Partes*, sed ut *Eadem* cum Antecedente *veritas.* Sicut ergo *Antecedentis* Veritas *Consequentium* veritate non minuitur; ita honori *Patris* per honorem *Filio*, vel *Spiritui Sancto* adhibitum; nihil detrahitur.

## AXIOMA VI.

*Deus per diverſas menſuras, Proprietates ſuas communicat.* Nonnullis puram putam *Subſtantiam*, ut Elementis, *&c.* Aliis ultra *Subſtantiam*, etiam *Vitam*, ut Plantis; aliis præter Vitam, etiam *Senſum*, ut Animalibus; aliis præter Senſum, etiam *Rationem*, ut Hominibus: ex his autem, aliis majorem, aliis minorem Rationis *menſuram.*

## AXIOMA VII.

*Sapientia Chriſto eouſque unita fuit, quouſque poſſibile fuit.* Hoc libenter concedunt Sociniani. Quis jam auſit Dei *Potentiæ* limites ita ponere, ut dicat non potuiſſe Deum eo modo, & eâ *Immenſitate ſapientiæ* Chriſtum hominem perficere, ut ipſius etiam *Sapientiæ* charactere dignus fiat?

AXIOMA

## AXIOMA VIII.

Quum Paulus *Col.* 2. 9. Doceat *In illo habitare plenitudinem Deitatis corporaliter.* Plenitudo illa *Corpus* in quo habitat ita reſpicit ut illud deitate plenum ſit; non ipſam *Deitatem*, ita ut tota Deitas in Corpore contineatur. Hoc, ut apertâ Ratione ita eiſdem e-juſdem Apoſtoli verbis alium ſenſum horrentibus patet. Siquidem ardore caritatis in ſublime evectus, pro Epheſiis *precatur*, (vel *optat* potiùs) *ut compleantur ad Omnem plenitudinem Dei*, Eph. 3. 19. at *ver.* 17. patet *omnem illam plenitudinem* caritate ſola contineri. Eadem nempe figurâ quâ Chriſtus hortatur *Matt.* 5. *ult. Ut perfecti ſimus ſicut pater noſter in cælo perfectus eſt*: Apoſtolus optat *Ut plenitudine ejus compleamur, & evehamur ad hominem Perfectum, ad menſuram ſtaturæ plenitudinis Chriſti, cap.* 4. *ver.* 13. Noſtrum ſcilicet eſt, ſemper creſcere, & ulterius conari, ſicut Apoſtolus profitetur & Philippenſes (etiam perfectos) hortatur. *Phil.* 3.15.

at

at peculiarem ſibi prærogativam aſſerit Chriſtus, Patrem ſpiritum, *non per menſuram* (h. e. immenſum) dediſſe.

## Axioma IX.

Chriſti Natura Humana utcunque Sapientiâ plena, totam tamen non in ſe continuit. Ipſe ſe dixit *è cælo deſcendiſſe* & *in cælo eſſe*, Jo. 3. 13. Nec enim Deitas ab Humanitate abſorpta, ſed Humanitas à Deitate aſſumpta; remanentibus tamen proprietatibus, Corpori Eſſentialibus, nominatim *loco præſentia*, qua in cœlo continetur.

## Axioma X.

*Sola Dei Sapientia, non tota Deitas incarnata fuit.*

Non de *Patre*, nec de *Spiritu Sancti* ſed de *Verbo* ſolo dixit Joannes λόγος, *caro factus eſt*. Nec alteruter ex eis, ſed *Sapientia* ſola illi officio fungendo idoneus, cujus gratia Chriſtus in carnem deſcendit. Sive voluntatis Divinæ nuncio, ſive novi fœderis mediatori,

atori, ſive Legiſlatori, ſive Pontifici, omnibus Sapientiâ opus. At pro hominibus *Sacrificium* ſe offerre, *Patri* apprime incongruum, *Omnipotentiæ* impoſſibile. Cumque Joannes & Logo ſolo magnificiſſime *Deitatem* aſſeruerit, & mox eidem logo ſoli *Incarnationem* aſcripſerit; hoc illi *Singulare*, non autem ei cum Patre & Spiritu Sancto *Commune* eſſe, ſatis luculenter docet: nec uſpiam in ſacris literis occurrit, quod aliud vel diſertim Affirmet, vel per intimationem Inſinuet, vel per conſequentis *Inferat*.

§. 3. HÆC ipſiſſimis *Apoſtolorum* dictis enunciata, & *Eccleſiarum* Confeſſionibus elucidata, nemini Dubia, nedum Falſa videri poſſe arbitror. Supereſt ut præ aliis Hypotheſibus, retuntendis Unitariorum Objectionibus, ſacrarum literarum Dubiis ſolvendis, Incarnationis Myſterio cum Ratione conciliando, conducere paribus paſſibus demonſtrem. En tibi Objectionum ſpecimina, hac hypotheſi ſolutarum!

Obj.

Obj. 1. *Chriſtus ſe patre inferiorem, & patrem majorem agnoſcit: Ergo non eſt Deus patri æqualis.*

Reſpondetur ex Axiomate 1, & 2. Cum *Filius* ſit ἀπαύγασμα gloriæ paternæ, ita æqualis eſt *Patri*, ut *Lumen* ſolare eſt ſolis *Luci*; & Fonti Rivus, qui Aquam habet & quantitate & perennitate *Parem*, licet *Derivatam*; eoque Imparem *Ordine* tantum, non *Aquis*.

Obj. 2. *Dicitur Deus Chriſtum exaltaſſe & dediſſe omne nomen*: Si Chriſto dei nomen debetur, quærit Unitarius, quodnam ſit illud nomen quod ſit ſupra illud nomen; & quænam illa exaltatio, quæ ſupra illam altitudinem evehat, quam ab æterno habuerit?

Reſp. ex Axiom. 1 & 2. Ab æterno habuit nomen *Sapientiæ*; Poſt Reſurrectionem additum fuit nomen *Imperii*. Hoc docet Paulus, 1. Cor. 15. *Regnabit dum venerit finis, tum Patri regnum tradet, ut Deus ſit omnia in omnibus*, h e. quamdiu duraverit mundus, tamdiu mundo imperabit *Chriſtus*: poſtea, non erunt ad creaturas Relationes, eoque nullo

nullæ in Deo Perſonarum *Proprietates*, ſed *Unicus Deus, unica Perſona.*

Obj 3 *Chriſtus Impotentiam ſæpe ſe profeſſus eſt, quomodo ergo Deus?*

Reſp. ex Axiom. 2. *Chriſtus* non fuit *Tertia in Deo Perſona*, quæ eſt *Potentia*; ſed ſecunda, quæ eſt *Sapientia*: Habuit ſane Sapientiam Immenſam, ſed Sp. Sancti *Potentiam*, cum *Menſurâ*, quâ dictis ſuis per opera mirifica fidem conciliaret, non *Immenſam*; quæ muneri ſuo fungendo adeo neceſſaria non fuit, ut illi etiam impedimento foret. Teſtatur enim Paulus *oportuit ſalutis noſtræ ducem patiendo perfici*, idque non unica de ratione, ſed ut *exemplar nobis præberet, ut miſericors fieret Archipontifex, &c.* quomodo hæc cum potentiâ immenſâ conſiſtant nullus intelligo.

Obj. 4 *Se ignoraſſe diem judicii, quem pater penes ſe retinuit, palam agnovit.*

Hoc eum nè *Sapientiâ* quidem immenſum fuiſſe probat.

Reſpondetur ex Axiomate 8. Illa cognitio *Speculativa* nihil ad *Sapientiam*

con-

contulisset: *Sapientia* enim *Practica* est, non *Otiosa*, *Frugifera* non *Sterilis*: *Dierum & temporum Cognitio, quam Deus sibi retinuit*, nihil ad eam *divinæ naturæ participationem* confert, cujus promovendæ gratiâ Sapientia divina in naturam humanam descendit.

Quid jam suprapositis, vel aliis Unitariorum Objectionibus reponunt alii sive *Reales* sive *Nominales* Trinitarii? Qui tres Personas ita in Deitate unitas credunt, non ut singulæ singulas, sed ut singulæ Omnes tres prædictas Proprietates habeant, quomodo cum Ratione consentire censent, ut Deus omnipotens agoniis torqueatur, angelorum ope indigeat, se à patre desertum exclamet, &c.

Dicunt nimirum *Deitatem* miseris illis momentis influentiam suam cohibuisse.

At ubi interim unio illa *Hypostatica*, unioni Animæ cum Corpora par? Unquamne in illa unione pars inferior (corpus) se à parte superiore (animâ) desertum queritur? Quidni æque *Sapientiæ* possibile fuit ac *Potentiæ* influen-

G tiam

tiam suam cohibuisse ? nunquid miseris illis momentis Christus in peccatum ob defectum Sapientiæ delapsus foret? &c.

Non sane diffitemur aliter sentire Theologos plerosque, aliarum Ecclesiarum Reformatarum Confessiones in totum prætermittentes, forsan etiam *Anglicanæ Ecclesiæ* Articuli Secundi Syllabis à vera ejus Intentione abreptos. Illius ergo & verba recitare, & genuinum Sensum perscrutari operæ pretium existimo : Sic autem se habet,

*Filius, qui est filius patris, ab æterno à patre genitus, verus & æternus Deus, consubstantialis cum patre, accepit hominis naturam in utero Beatæ Virginis, ex ejus substantiâ, ita ut duæ integræ & perfectæ naturæ,* h. e. *Deitas & Humanitas in una Persona unitæ sint, nunquam dividendæ.*

Quum ergo apud Patres & Scholasticos voces *Substantia, Essentia & Natura* æquipolleant; videtur duas integras *Naturas*, significare æque integram *Deitatem* ac *Humanitatem.* Sed

1. Non

1. Non ſolent *Eccleſiæ Reformatæ* in terminis iſtis *Metaphyſicis* λεπτολογεῖν; nec hic id facere citra egregrium paralogiſmum licet. Cum enim *Filius* non ſit tota & Perfecta *Deitas*, ſi ex Filii cum natura humana unione, inferatur totius *Deitatis* unio, plus inferet Conſequentia quam offert Antecedens.

2. Si Peripateticè loquendum ſit, *Natura eſt principium motus & quietis* in Corporeis; ergo analogicè, erit *principium actionis* in Spiritualibus. Habet autem quælibet *Proprietas Actionem* ſibi Propriam, ergo Propriam etiam habebit Naturam; hanc æque ac illam, à duabus aliis diſtinctam: Et proinde Integra & Perfecta *Filii* Natura (ſi Filius ſit *Sapientia)* in hoc conſiſtet, quod ſit principium *Sapienter* agendi.

3. Proinde verus *Articuli* hujus ſenſus cum *Apoſtolico* coincidet, dicente *in Chriſto inhabitare omnem Deitatis plenitudinem*; *viz.* non habuit ille, (ſicut homines ſancti) divinæ naturæ *Participationem*, ſed *Plenitudinem*, & ex ejus Plenitudine omnes alios reci-

pere, & χάριν ἀντὶ χάριτος, h. e. Gratiam gratiæ respondentem.

Hoc illud est quod *Photius* cod.222. de Jobo memorat, libros ejus quartum & quintum duobus capitibus absolvi, quorum hæc fuit summa *Oportuisse ut vera & Hypostatica Sapientia Dei, conversos in insipientiam, & jumentis similes redditos, à stultitia liberaret, & ad Rationabilis creaturæ dignitatem reduceret.*

Cum enim *Insipientia* sola peccati causa sit ; *Sola,* sed *Immensa* Dei *Sapientia,* adæquatum est ejus remedium: eoque aliarum duarum *Deitatis Personarum,* æque Superflua esset, ac aliàs Incongrua *Incarnatio.*

Hæc jam solius *Sapientiæ* incarnatæ Hypothesis, utcunque Ecclesiarum *Confessionibus* necessariò consectanea, à St. *Johanne* disertim affirmata, omnibus salvandis Phœnomenis, omnibus extricandis Ænigmatibus, omnibus amoliendis cujuscunque generis Difficultatibus, apprimè obvia ; cum tamen *Theologis* nostris erronea videatur ; illam non dogmaticè Impono, sed humiliter Offero.

Siquis

Si quis ita renuat ut refutet, Veritati Manus, edocenti Gratias daturus.

§ IV. QUanquam hoc nomine cordatis ideo accipienda ſint, quod acerrrime jam de Perſonis in S. *Trinitate* digladiantibus, *optimum*, imò *unicum* præbeant *Syncretiſmum*, neutri parti ingratum.

*Nominales* enim eouſque *Unitarii* ſemper erunt, ut Unitatem tam in *Numeratione* quam *Deitate* propugnent, eadem utrobique ratione, unam Naturam tribus Individuis communicatam, tres efficere, ſive Deos ſive Homines contendentes.

*Realiſtæ* ex altera parte, cum *Trinitatem* audiunt nil aliud eſſe quam *Deum ſe Intelligentem* & *Diligentem*; nec *Perſonam*, aliud quam *Relationem intrinſecam*, quæ nec mundum ſpectet: nec ab eo ſpectari mereatur; non quidem iſta Horrent, tanquam *Unitati Dei* contradictoria, ſed Rident, tanquam ejus *Majeſtati* incongrua. *Proprietates* autem, quarum quæque ab

aliis, non *Nomine* *ſolum* ſed & *Actione* differat, nec *Sabelliſmi* accuſabunt Hi; nec *Tritheiſmi*, Illi.

Imo ipſe *Unitarius*, qui Eccleſiæ conſenſum in *Trinitate* jactitat; in *Incarnatione* deſperat; dum *Nominalium* in trium *Subſtantiarum* abnegatione aſſenſum gloriatur, *Relationum* intrinſecarum doctrinam ob *Inanitatem*, & cum *Incarnatione* inconſiſtentiam explodit; cum *Eccleſiâ* ſe magis *diſſentire* quam *conſentire* demonſtrat: At in hac *Hypotheſi* nihil inveniet, quod vel *horreat* ut Tritheiſticum, vel *rideat* ut Nugatorium, vel ſuſpicetur ut Incarnationi contrarium; ſed omnia gratuletur & ſecum & cum Scripturâ, & rectâ ratione conſona.

Non eſt quod jam de ipsâ Doctrinâ dicta repetam: eſt autem quod *Conſcientiæ* inſuper offeram. Periculum ſi utrinque immineat, utrinque perpendamus: hinc *Schiſma*, inde *Tritheiſmum*. *Schiſma*, crimen eſſe primæ magnitudinis, nec niſi per ultimam neceſſitatem excuſandum, non agnoſcere nemo poteſt. Illam ergo Neceſſitatem examinemus. *Sapien-*

*Sapientiam* abſtractim ab aliis Dei *Attributis* contemplari obvium, quidni & liceat eandem æque *Adorare* ac *Contemplari*? Hanc eouſque *Chriſto* unitam eſſe quouſque *Humana Natura* capax eſt, Chriſtianus non eſt qui dubitat. Utrum jam poſſit Deus eouſque *Sapientiam* ſuam *Homini* communicare, ut is infinitè *Sapiens*, eoque jure Adorabilis ſit, ſi dubitetur; tum ulterius conſiderandum, utri parti gravius impendat periculum. Si dubitemus an Deus id efficere poſſit, illa ipſa *Dubitatione*, dum *Omnipotentiæ* limites ponimus honori divino detrahimus. Si id *Efficerit*, & nos effeciſſe negemus, in illum tam *Infidelitate* quam *Schiſmate* peccabimus. Si autem id revera *non* effecerit, & nos id effeciſſe falsò credamus, nil inde gravius conſequetur, quam ut de *Facto* erremus, de honore autem Dei nihil detrahamus.

In *Chriſto* enim non hominem adoramus, ſed infinitam Dei *Sapientiam*: imo, cum Nomen *filii David* invocamus, revera Naturam *filii Dei*, *eo nomine* ideo inveſtimus, quia credimus illam

ſe humana natura ita inveſtiiſſe ut in unam *Perſonam* utro coaluerit.

Et hujus Hypotheſis beneficio, aliis id dicere licet quod *Samaritanis Chriſtus: Vos quid colatis neſcitis, nos novimus quem colamus.*

Si ergo *Unitarii* noſtri integram malint cum *Eccleſiâ Unionem*, quam aliqualem de ea *Victoriam*; & ſcrupulis *Satisfacere*, quam *Indulgere*; Si Eccleſiæ doctrinam in publicis ejus *Confeſſionibus*, quam in Theologorum *Diſceptationibus* quærere, & illius verbis ſenſum *commodiſſimum* aptare, quam Rigidiſſimo contradicere ſatius æſtiment; oblatam hic habet gratulandi materiam, eo ampliorem, quo pleniorem cum illa conſenſum. Hucuſque enim in *Trinitatis* doctrinâ, ex una tantum parte, *Perſonæ* explicationem Amplectuntur, ex Altera derident; & *Incarnationis* doctrinam in totum rejiciunt; jam autem in *utraque* plenè conſentire ſine ſcrupulo poſſunt: nec conſenſum illum ſuum *Verbis* ſolum, ſed publicâ nobiſcum in cultu Chriſtiano *Communione* profiteri: quod de viris *Schiſma* averſantibus

averſantibus (ſublatâ jam ejus neceſſitate) ſperandum; eóque magis quod honori ſibi ducunt, ſe cum Eccleſiâ in Trinitatis doctrinâ reipsa conſentire; modo cum Incarnatione in gratiam reducatur.

---

G 5 CAP.

---

## CAP. VII.

## De Myſterio Reſurrectionis.

I. *Reſurrectio Chriſti neceſſariò credenda.* II. *Et noſtra ipſorum.* III. *Scrupulus, Quali corpore reſurgendum?* IV. *Eiſdem materiæ particulis reſurgi non neceſſariò credendum.* V. *Dei honor quid credendum poſtulat?* VI. *Juſtitia eaſdem particulas non requirit, ſed contrà. Idem & Sapientia:* VII. *Quid credentium gaudio maximè conducit.*

DUO tantum eſſe neceſſario credenda à *Paulo* didicimus. *Dominum Jeſum* & ejuſdem *Reſurrectionem*; ac ab illa procedere *Noſtram ipſorum*, alibi diſſerentem audiemus.

De priore, D. Johannem ſumma cum ſolennitate in Evangelii ſui exordio agentem audivimus; & inde Chriſti tam *Deitatem* quam *Incarnationem* didicimus.

De Poſteriore jam D. *Paulum* eodem Spiritu actum, ſolennitate eâdem, ſed figurâ primæ Johannis Epiſtolæ conſonâ, differentem audiamus, 1 *Cor.* 15. *Notum autem vobis fratres facio Evangelium*, &c.

Ut in hac etiam parte Fidei præbeatur de *Myſteriis* triumphus, cum *Domini* noſtri *Reſurrectioni*, Noſtræ etiam ipſorum Reſurrectionis Fidem annectit Apoſtolus; hanc quantis poſſint *difficultatibus* premunt, qui Fidei honorem à victoriis aucupantur.

De *Chriſti ſanè Reſurrectione* difficultates non occcurrunt, niſi quis tam *hunc*, quam omnes *alios Apoſtolos* mendacii inſimulare auſit. Coacervatis enim plurimorum, addito ſuo inſuper ipſius teſtimonio (unico de Factis argumento) ſupra omnem dubitationis aleam evehit.

Nec

Nec rei tantum *Veritatem* ſed ejus credendæ *Neceſſitatem* urget. *Hoc illud eſſe Evangelium quod prædicarunt Apoſtoli, quod acceperant ipſi, in quo perſiſtunt, per quod ſalvantur; quod ni verum ſit, fruſtranea fuerit & Prædicatio noſtra, & Fides veſtra: adhuc in peccatis veſtris eſtis vos, & perierunt quotquot in Chriſto* (ejus gratia mortem ſubeuntes) *obdormierunt, & omnium miſerrimi Chriſtiani ſumus.*

Si quis jam *Pauli* (Apoſtolorum non ſanè Minimi, ſed non niſi Unius) vel de rei *Veritate Teſtimonio*, vel de ejus *Credendæ Neceſſitate*, Sententiæ acquieſcere renuat; totam audiat, *Apoſtolorum Synodum*, eligendo *Judæ* ſucceſſori convocatam, ejuſque officium his verbis deſcribentem; *Act.* 1. *Ex eis ergo qui nobiſcum verſati ſunt, toto tempore quo Dominus Jeſus intravit & extroivit inter nos, conſtituendus eſt qui nobiſcum teſtis ſit Reſurrectionis ejus.* Perlegantur deinde quæ ſecuta ſunt, ipſorum *Apoſtolorum Acta*, & hanc adæquatam prædicationis materiam agnoſcamus, nunquam inanem, ſed perpetuo prædicantibus

tibus vel *Discipulos* afferentem vel *Persecutiones*. Particulatim *Paulum* observemus, apud Ephesios adeo frequenter *Jesum & Resurrectionem* memorantem, ut hanc Deam æque ac illum Deum coluisse intelligerent. Eundem pro tribunali coram *Agrippâ*, hoc cardine verti causam suam dicentem, *An possibile deo sit à mortuis quenquam suscitare?*

Hæc si minus sufficiant, ipsum insuper *Christum* audiant à mortuis Reducem, & mox in cœlum abiturientem. *Luc.* 24. 46. *Dixit eis ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & tertio die resurgere, utque Resipiscentia & Peccatorum remissio illius nomine inter gentes prædicentur.* Hujus autem Prædicationis quis futurus sit fructus promittit *Marc.* 16. 14. *Apostolis mensæ accumbentibus apparuit, & incredulitatem & cordis duritiem eis exprobravit, quod illis non crederent qui illum viderunt postquam resurrexerat, & dixit eis, Migrate in totum mundum & omni creaturæ Evangelizate, Qui credit & baptizatur salvabitur, qui autem, non credit, damnabitur.* Cujus sermonis, cum pars posterior priori accommo-

commodanda ſit, ſatis conſtat illud *Evangelizandum*, cui *Credendo* ipſi adeo ſegnes erant, h. e. ipſius *Reſurrectionem.*

Nec ſane iſta ex mero arbitrio. Non is fuit *D. Jeſus*, ut *Reſurrectionis* ſuæ veritatem *Sui ſolum ipſius* gratiâ neceſſario credendum vellet; ſed quòd inde Credentium *Fides* pendeat; ita enim repetito argumentatur *Paulus.*

§ II. 2. SEcundo igitur quærendum quid de noſtro ipſorum Reſurrectione neceſſariò credendum?

Eam eſſe inter *Chriſti* Reſurrectionem & *Noſtram* connexionem, ut par ſit utriuſque & *Veritas* & Credendi *Neceſſitas*, *Apoſtolo* ſemel monuiſſe non ſuffecit; repetit, inculcat, variat; non ipſam modo *propoſitionem*, ſed ejus *conſequentias*, ſub utrâque formâ, *Negativâ*, per octo integra commota; mortem ab *Adamo* traducimus, perire ergo neceſſe eſt, quia vitam poſt mortem reddere penes Naturam non eſt. *Poſitivâ*, conſequentiam contrariam ab *Adamo* ſecundo deducit, quod ab eo *Vitam*

*tam* ita traducimus ut à priore *Mortem:* Ab *illo* in peccato eſtis; at ab *hoc* peccatorum Remiſſio, & (quæ inde oritur) vita æterna, conceditur.

Hoc autem *Promiſſum* inane prorſus fuerit, niſi is qui illud nobis dedit, exemplo ſuo poteſtatem ejus præſtandi comprobaſſet. Ille enim tam *Suam ipſius* Reſurrectionem, quam *Noſtram* promiſit; & ſi in *Priore* fidem falleret, de *Poſteriore* deſperandum eſſet; ſi autem *Prius*, ut prædixerat, effecit, nec minore Potentiâ ad id exequendum opus eſſet; jam Fidem habemus, non *Promiſſo* tantum, ſed ex Promittentis tam Potentiæ quam Veracitatis experimento.

§ III. AT en ſcrupulum! *ver.* 35. Sed *dicet quiſpiam, quomodo reſuſcitantur mortui? quali corpore veniunt?* Quæ ſane quæſtio, pro diverſa proponentis intentione, diverſam reſponſionem merebitur. Poterit enim increduli *Deriſionem*, poterit credentis *Curioſitatem* ſapere. Videtur Apoſtolus eodem reſponſo Prioris Audaciam reprimere, poſterioris Dubiis conſulere.

Obſervanda in primis *quæſtio propoſita,* Non eſt ἐν τίνι ſed ἐν ποίῳ σώματι. De eiſdem *Materiæ Particulis*, in eodem numero corpore, denuò reuniendis ne ſomniaſſe quidem videtur proponens: Non an *Numero*, ſed an *Specie* idem, an *Neutrum?* ambigere videtur; ac Dilemmate forſan inſidias ſtruere. *Eodem* ſcil. corpore reſurgi, quomodo *Poſſibile?* *Novum* corpus anteceſſoris ſui pœnas dare vel præmiis frui, quomodo *Juſtum?* Ac par quæſtioni reſponſum. Cum *Inſidiatore*, ut cum ſtulto agit; Exemplo cuivis Ruſtico familiari demonſtrat, & *novum* fore corpus & cum depoſito *idem. Non illud quod futurum eſt corpus ſeris, ſed nudum granum; Deus autem corpus dat, & cuilibet ſemini corpus* ἴδιον *Proprium.* Eodem modo (ſi valeat exemplum) cuilibet reſurgenti *Corpus*, & *Suum*, & *Novum*, & *Auctum.*

Seritur *Granulum* nudum, ſurgit *Planta*, radice, culmo, ariſtis, novis inſuper *Granis*, in millecuplum aucta. Ita & corpus ſeritur in *Corruptione*, ſurgit in Incorruptione, &c. Et apertiùs *ver.*

50.

50. *Hoc autem dico fratres, quod caro & ſanguis regnum Dei hæreditare non poſſunt:* quibus verbis non *Moralem* ſed *Phyſicum* ſenſum deberi contextus demonſtrat.

Videtur autem *Deiſta* illam *Apoſtoli* reſponſionem hac replicatione retundere poſſe, *viz.* Diverſam eſſe Plantæ & Humani corporis naturam. Queritur *Jobus* ſuccisâm *Arborem* reviviſcere, *Hominem* prorſus interire; nec minorem in *Semine* quam in ipſo *Corpore* differentiam eſſe. *Triticum* terræ commiſſum, ibidem tegi, humectari & foveri, Fermento à Natura dotatum, quod ultrà ſemper, & ulteriùs ſe extendere valeat; illud ipſum tamen *Fermentum* facile deſtrui, eóque granum reſurrectione ſpoliari poſſe: *Hominum* quidem corpora Fermento itidem ſuo donari, eóq; dum vivunt alios procreare; ſed ſe à ſenio ad juventam, nedum à morte ad vitam reſtituere, omnino non poſſe.

Quin & ita ſepeliri plurimorum corpora, ut ea redintegari planè impoſſibile videatur. *Principum* viſcera longis terrarum ſpatiis ſæpe diſtrahi: Integras *Gentes* defunctorum corpora conſumere.

*Multos*

*Multos* mari merſos piſcium inſuper ventriculis immergi, piſces illlas ab aliis inſuper piſcibus, has etiam hominibus aliis, earumque forſan unam pluribus in pabulum cedere, veſcentium corporibus miſcendum. Has omnes particulas, à ſe invicem ita Diſtractas, & alienis corporibus Immiſtas, ab illis ſecerni, & ſuis reuniri, idque in ſingulis omnium gentium & ſæculorum hominibus fieri, quis crediderit?

§ IV. IMO quis crediderit illa creditu Neceſſaria? De *Potentia* Dei, ſi ambigatur, alia reſponſione non opus erit quam *Paulinâ*, O ſtulte! nec minus eodem charactere notandus fuerit, ſiquis de *Veracitate* Dei in promiſſis præſtandis dubitet: Sin de *materiâ facti* quæratur, non an *Poſſit*? ſed an *Promiſerit*? hoc nihil Dei Honori, ſed noſtræ tantum *Solertiæ* detraxerit.

Nec eo unquam pervenerit ſagacitas humana, quin *Myſterium* hoc inveſtigabile maneat; quod tamen neutiquam prohibet, quin eouſque procedere liceat, quo pertingere poterit *Ratio*, verbo

bo divino illuminata. De hoc autem Subjecto, cum verbum divinum nuſquam aliàs occurrat, quam in hac *Apoſtoli* apud *Corinthios* diſſertatione; operæ pretium certè erit, *Sinceritate* & *Libertate* quanta poſſumus maximâ, illius animum indagare: De *Rei* veritate qui dubitaverit *Apoſtolo* in os involabit; de *Modo* quærere, quid obſtat?

Ille forſan majus incurrit fidei amittendæ Periculum, qui dogma tuetur majoribus Difficultatibus gravidum: Is enim fere in *æquilibrio* pendet; & metuendum ne aliquando Rei incredibilitas Fidei præponderet; eoque avulſo fundamento, fide excidat *Evangelica*, & vita proinde *æterna* non niſi credentibus promiſsâ; quod non raro fieri utinam dubitandum eſſet. Qui autem nil aliud creditu *Neceſſarium* cenſet, quam quod promiſit *Apoſtolus*, *Deum corpus largiturum prout ipſi placuerit, & cuique ſuum*; quod *Credat* & Gaudeat, habet; quod *Diffidat*, non habet.

Hoc tamen cum partialitatem ſapiat, miſſum faciamus, & puram putam *Veritatem* animo ſincero indagamus.

Si

Si ipſa *Apoſtoli verba* ſpectemus, eaſdem *numero particulas*, in corpore ſic reſurrecturo reuniendas, *negantem* potius quam *affirmantem* inveniemus; quid enim aliud ſibi vult *corpus quod futurum eſt, non ſeris, & Deus corpus dat ut lubet?* quid diverſitatis carnium in *beſtiis, piſcibus, & volatilibus mentio?* quid *carnis & ſanguinis* à regno cœlorum exhæredatio? Nec tamen vel ex his, vel aliis conſentientibus clauſulis, quicquam ulterius poſtulamus, quam *Libertatem* illud credendi quod illa ipſa Topica, ad quæ ex alterâ parte appellatur, *Rationi* maxime conſentaneum videbitur: Sunt autem iſta, *Perfectiones Divinæ, & Gaudium noſtrum.*

§ V. Conſiderandus imprimis Dei ipſius honor, in *Juſtitia* & *Sapientia* conſpicuus.

I. *Juſtitiæ* congruum videatur, ut corpus idem quod *Criminis* cum animâ particeps fuerat, cum eâ etiam *Pœnas* participet, & vice verſâ, *Præmium.*

1. Si exactè (ut in re tali decet) loqui libeat, Corpus neutrius particeps

ceps fuerat. Nec enim *Materia* quicquam vel *Agit*, vel *Cogitat*, vel *Sentit* : ſed *Anima* per Corpus. *Apoſtolus* idem 2 *Cor.* 5. Corpus *Veſtimento & Domicilio* comparat : in hoc Sedet, in illo Movetur, at neutrum Vitam participat. Qui ergo credit, flagitare *Juſtitiam* divinam, ut Idem materiâ corpus in *Reſurrectione* pœnas luat, quod in hac vita meruerat; neceſſe habet ut æque credat, ſontem eodem *Veſtitu* puniendum quo deliquerat.

2. Hoc, ut minime *neceſſarium*, ita prorſus *impoſſible*. Corpora enim noſtra, particularum effluxu, & novarum ſucceſſu ita perpetim mutantur, ut fluminis inſtar ſint, alveo ſemper ejuſdem, aquis ſemper alterius. Imò pauculis intercurrentibus annis, ita immutantur ipſi etiam vultus, ut ne à ſuis quidem agnoſcantur. Quod in *Joſepho* factum, cum in Ægyptum primò venit, multoque magis cum ibidem ſenuiſſet. At tota & multiplici illa corporum mutatione non obſtante, ſceleris olim in juventute perpetrati pœnas, etiam ſenes metuerunt; tato *Corpore*, eundem *Hominem* congnari

gnari eandem *Animam*, utcunque mustituere. Quid jam impedit, quo minus idem de *Justitia* divina credendum sit?

§ VI. 3. IMO *Justitiæ Divinæ* hypothesis illa, adeo non ministrat, ut dicam impingat; cum inde necessario sequatur, *Immeritis* & Pœnas & Præmia distribui. Quo enim corpore surgent? Eo forsan quo occubuerunt: at occubuerunt Senes; moribus forsan, certè corporum *particulis*, pluries *mutatis*. A quibus jam corporis particulis sumendum scelerum *Juvenilium supplicium*? A *sontibus*? at dudum perspirarunt. Ab ultimis? at scelerum juvenilium *insontes*. Congregandæne omnes particulæ quæ per totum vitæ spatium, corpus successive constituerunt? At qua mole resurgent corpora præsertim senilia? Ne totus quidem terrarum orbis, nedum vallis *Jehosaphat*, tot tantisque resurgentium montibus locum tribuerit. Et ne sic quidem constabit *Justitia*; nec enim jam *singulæ* sibi sigillatim debitas; sed aliæ aliarum sibi vel *præcedentium* vel *succe-*

*succedentium* pœnas luent. Cumque particulæ *Juveniles*, paucorum (comparativè) criminum reatu teneantur *Seniles* autem innumerorum novorum, & *Veterum* etiam *Impœnitentia* aggravantur; *Justumne* jam videbitur, has cum illis easdem pœnas luere? sin ea quæ occubuerunt corpora *senilia*, juste scelerum *juvenilium* pœnas dare censeas, quia per *impœnitentiam* reatus semper renovatur; ne sic quidem tollitur iniquitas, plurimorum enim *veterum criminum*, etiam ante senectutem obrepit *oblivio*: dabuntne ergo *Seniles* particulæ eorum pœnas, quorum nè memoriæ quidem consciæ sunt; *Juvenilibus interim* propter eam *oblivionem Immunibus*, quæ & ipsa pœnam mereretur? Quod de Senilibus & Juvenilibus dictum, de Intermediis pari ratione dicendum, cum corpore enim senili, nec Hæ, nec Illæ vel occumbunt vel resurgunt.

2. Quin & *Sapientia* etiam Divina in jus vocatur: Non sane miselli homuncionis est, Sapientiæ divinæ regulas præscribere, quoad actus maximè

Parti-

Particulares: At cujuſlibet *Attributi* divini (ac inter cætera *Sapientiæ*) *ideam fixam* habere, æque neceſſarium, ac de eis deo laudes canere; niſi velis inanes ſyllabarum ſonos, h. e. pro debito *cordis Honore*, *Verba dare*.

Ad veram autem *Sapientiæ ideam* duo concurrere, *viz.* *Finem Bonum* & *Media congrua*, conſentiunt omnes. Ubi ergo Media vel *Re* vel *Proportione* incongruâ ſunt, ea parte deficiet Sapientia. Proinde ſiquis crediderit, *Deum*, *Omnipotentiam* ſuam tot miraculis occupaturum, quot occubuerunt hominum Corpuſcula, cum aliter omnibus & *Promiſſis* & *Intentionibus* ſatisfieri melius poſſit; is certè non minus *Sapientiæ* divinæ detraxerit, quam *Potentiæ* tribuerit.

§ VII. 3. Conſiderandum ergo reſtat, (quod etiam Evangelium ſpectat) quid Credentium *Gaudio* maximè conducat. Hoc enim ſumma cum Magnificentia prædicat *Johannes*; *Hæc ſcribo, ut Gaudium veſtrum completum ſit.* Quantum autem Credentium

dentium *Gaudio* conducat *Resurrectionis* Fides, clariùs perspiciemus, si videamus quanto Desiderio, quantilla Spe, jactati fuerint *Gentilium* perspicasissimi.

Pro cæteris audiatur *Seneca* Ep 102. *Juvabat de animarum æternitate quærere, imo mehercule credere: credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis quam probantium. Dabam me spei tantæ: jam eram fastidio mihi, jam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immensum illud tempus & in possessionem omnis ævi transiturus.*

Istæ fuerunt gentilium inter Spem & Metum, nulla anchora fixorum fluctuationes. Desiderii ardor Spem Accendit, Evidentiæ defectus Extinxit.

1. Defuit *Fiducia*, eis adhibenda à quibus Spes præbebatur: Viros jactat *Magnos*, at Spes dolet *Languidas*, à magnis illis viris *Promissas*, non *Probatas*.

Nostra autem *Spes* non *Magno* tantum *Viro*, sed *Divino* nititur; nec *Pro-*

 *mittente*

*mittente* tantùm, ſed ſuo inſuper exemplo *Comprobante.*

2. Spes *Senecæ* æque *Tenuis* ac *Languidæ*: *Immortalitatem* anhelavit, ſed *Carnalem.* Eaſdem etiam *Phariſæorum* ſpes fuiſſe è *Sadducæorum* quæſtione patet. Nec enim ſuſpicandum videtur, quin inter tot *Diſceptationes*, per tot *Sæcula*, edâem in *Urbe*, tam ſolicitè reciprocatas; hos illis eodem reſponſo os obſtructuros, ſi intellexiſſent ipſi, reſurgentium corpora *Angelica* fore.

Utcunque autem tam Gentilium Philoſophi quam Judæorum Phariſæi Immortalitatem ſperarent, de eiſdem tamen corporis particulis reſtituendis, nec hi nec illi ſomniarunt.

Nec multo altiùs aſcendere videtur eorum fides, qui reſurgentium gaudium *veterum amicorum* concurſu metiuntur. *Platonici* certè *fugam corporis* præcipiunt ut rectam ad fœlicitatem viam, imo Apoſtolus de ſe teſtatur ὑπωπιάζω τὸ σῶμα ϗ δουλαγωγῶ *Corpus proſterno & ſubjicio, nè reprobus fiam.*

Reſur-

Reſurgenti ergo *Corpori* occurrens *Anima*, ſuum eſſe vel dignoſcet, vel non: Si non, tum ex ejus quam ex alterius cujuſvis occurſu majorem non nanciſcetur Lætitiam: ſi dignoſcet, tum omnium contentionum redibit non læta admodum memoria; nec veterem *Amicum* complectetur, ſed veterem *Hoſtem* horrebit.

A *ſpe præſenti* oritur *Gaudium* illud, cujus expectatione ad pietatem excitamur; Si ergo jam malimus *Angelico*, quam eodem quo jam incarceramur *Corpore*, æternam vitam agere; eo fortiùs habemus ad Sanctitatem *Incitamentum*, quo magis Fides Deſiderio reſpondet. Siquis neceſſarium exiſtimet contrarium credere; non ſolum minuetur *gaudium*, ſed toties *conturbabitur*, quoties occurrerit Dubitatiuncula quævis, fidei reluctabunda; quod ſanè ſæpiùs fieri veroſimillimum eſt, cum Ratio nunquam extinguatur, ne ſuperata quidem.

Piget huic periculo immorari, imò non *Periculo* tantum ſed *Damno* fere

quotidiano, plurimorum à fide *Apostasia*, hinc maximè oriundâ.

Viderint qui sinceras animas tanto objiciunt Periculo; mihi curæ sunt illi, qui nondum tanto tentamini succubuerunt, sed pro virili resistunt; doleóq; in Aliis luctuosum Exitum, in His, ipsius luctæ *Cruciatum*; eo tristiorem, quo severiùs exigitur, non tantum *Rei*, sed ipsius etiam *Modi* fides.

Glorientur cum Johanne qui possunt, se hæc *prædicare ut plenum sit gaudium nostrum.* Hoc & alia Mysteria sua jactitent, ut totidem Fidei trophæa de Ratione triumphantis; *Synesio Aphorismum* egregium gratulentur, *Vulgum facilia contemnere, portentosis opus esse*; & portentis istis id insuper tribuant, quod de se jactitavit *Vites Jothamica*, viz. *Lætificari se Deum & homines:* at meminerint, *Vitem Fructu* gloriari, non *Ligno. Fructus enim Spiritûs sunt Amor, Gaudium, Pax, Longanimitas, Lenitas, Bonitas*, &c. His Fructibus conficitur *Vinum* illud *Spirituale*, quod *Sensuali* opponit & præfert idem Apostolus, dicens, *Ne inebriemini*

*mini vino in quo est* ἀσωτία ; *sed spiritu repleamini, loquentes inter vos, psalmis, hymnis & canticis spiritualibus,* &c.

De vitis autem *Ligno* quærit *Ezekiel.* 17. *Fili hominis quid est Vites supra quamlibet Arborem, vel Ramum inter arbores Silvestres? Nunquid lignum inde sumetur ad opus aliquod? quisquamne paxillum inde capiet ad vas suspendendum?* Ecquid emolumenti à Modo *Resurrectionis*? Ecquid inde pietati Utile, vel gaudio Lætificum? Ecquis cujuscunque generis Fructus? Qui Fidei salvificæ modum illum *Resurrectionis* imponunt, viderint, nè ligno inutili illud assignent officium, quo solo apud Gentiles Romanos honorabatur, Centurionibus misellos milites vite fustigantibus.

## CAP. VIII.

### De Myſterio Cœnæ Dominicæ.

I. *Quid denotat Particula* [*hoc*] *in Cœnæ Inſtitutione ?* II. *Feſta Judæorum Panis fractione & Calicis benedictione claudi ſolita.* III. *Objectioni de typi indignitate occurritur.* IV. *Apoſtoli diſſertatio examinatur.* V. *Inſtitutionem recitans, clauſulam addit, ſibi revelatam.* VI. *Anatome accurata omnium clauſularum.* VII. *In capitulo præcedente ſuppar evidentia.* VIII. *Praxis Eccleſiarum Apoſtolicarum.* IX. *Eccleſiarum ſubſequentium Praxis.*

DE Chriſtianæ Fidei Objectis, ab Apoſtolo laudatis, creditu Neceſſariis & Sufficientibus, dictum. Supereſt *Aliud* & *Alterius* generis *Myſterium*; de quo credendo nulla occurrit verbi divini *Syllaba*: Sed *inter* (imo ſupra) alia Fidei *Fundamentalia*, accerrimè Propugnatum, & acerbiſſimè Imperatum.

Hoc etiam *Myſterium* inter Rationis tormenta graviſſimum, ut genuinæ *Simplicitati* reſtituamus, non diſputationis Subtilitatibus torquendus, ſed hiſtoriæ indicationibus inſtruendus animus, eóque & Loci & Temporis transferendus, ubi Dicta & Facta ſunt quæ intelligere cupimus.

Frequentiſſimum enim eſt *Optime dictorum* fatum, ut cum dicerentur niterent; at poſterorum incuriâ, obtectis pulvere circumſtantiis, obſoleſcant: nec jam aliter expiſcandus ſit loquentis Animus, quam per *Circumſtantiarum hiſtoriam*, quæ & ipſæ non raro ulteriorem *Retroſpectum* flagitant.

Iſta ut ſæpius accidunt, ita in re præſenti infeliciſſimè, & (ſi probè attendamus) apertiſſimè; cum domini *Inſtitutio*, *Intellectui* pariter & *Obſequio* facilis, in *Myſterium* incomprehenſibile tranſierit, ipſoque *Myſterii* titulo æquè inacceſſibile & inexpugnabile.

Quod autem non poteſt *Rationis Vis*, poterit forſan *Hiſtoriæ evidentia*; nunquam aliàs magis vel *Conſpicua*, vel *Neglecta*, vel *Utilis*.

In *Ultima* ſua *Cœnâ*, eadem Affectione *Panem* & *Vinum* amplexus eſt *Chriſtus*, qua dudum *Infantes* : eâ tamen inſigni cum differentiâ, quod ibi *Rationem Præcepto* annexnit, quia *Talium eſt regnum cœlorum*; hic autem ſingulare Hoc omnia TALIA excludit.

Quid hic ſibi vellet Dominus, ut probe intelligamus, neceſſarium eſt cum *Eunucho* quærere, *de quo hic loquitur Dominus*? de illo ſingulari pane? an de aliquo alio? æque ac de illo? Si aliqualem curæ partem, quam propoſitionis *Prædicato* inſumpſerunt, ejuſdem *Subjecto* impertiiſſent; & quid ſibi vellet demonſtrativum Hoc probè

intel-

intellexissent Theologi; nunquam profectò *calice benedictionis* plus Sanguinis *Humani*, quam *Uvini*, effussus esset.

Vox ipsa duplicem habet aspectum, alium ut Vox simplex, alium ut Propositionis subjectum. Ut *Vox Simplex* singulare quid digito Notat, & ab aliis omnibus distinguit. *Præpositioni Demonstrativæ* proprium est, quòd cum alia Adjectiva, subjecta sua supponunt; hæc sua, non *supponat* solum, sed *producat* in conspectum, & digito ostendat: nec vana tantum fuerit, sed abusiva vocula, si attentionem excitet & eludat.

*Hic* (inquit *Aaron*, eadem voce & loquendi forma) *est fæderis sanguis.* Ille sane sanguis *Singularis* fuit, omnibus aliis dignitate *præcellens:* at non *Syllabis* illis, sed aliis sacrificandi *Ritibus*, non minus ab omni Alio Sanguine, quam *Mactatione*, à nuperâ suâ carne separatus; nec *solennia pontificis verba*, ab alio sanguine Distinxerunt, sed jam distinctum Enunciarunt.

Quærimus ergo quid Singulare habuerit *Panis ille*, quem tanto honore dignatus est dominus? utrum *præviam* aliquam singularitem habuerit, cujus intuitu omnibus aliis prælatus fuerit? utrum (inquam) *præviam aliquam singularitatem* habuerit, antequam illum dominus in manus sumeret, & demonstrativo H o c notaret.

Hactenus voculam Hoc in *Grammatica* sua *Simplicitate* conspeximus: eandem jam in *Logicâ* sua *dignitate*, ut *Propositionis Categoricæ* partem, eamq; principalem, intueamur. Subjecto enim innittitur Prædicatum, non rarò inde mensurandum, secundum *Boethianum* illud, *Talia sunt Prædicata qualia Subjecta permiserint*. Si enim Illud Huic sustinendo impar sit, à syllabarum potestate ad animum loquentis recurrendum est; nunc ipsa *Rei Naturâ*, nunc annexâ *Glossâ* percipiendum.

*Jacobus* Patriarcha filios suos, alios alias fuisse bestias propositionibus ad regulas Categoricis denunciavit: sed Explicationibus congruis, propositiones primo

primo ſenſu Abſurdas, non ſolum ad *Veritatem* reduxit, ſed ad *Propheticam* dignitatem evexit.

Eadem loquendi forma apud dominum noſtrum frequens. *Ego ſum Vites* propoſitio categorica eſt, æque primo aſpectu Abſurda, ac *Jacobi* quævis, & æque additâ Explicatione ad veritatem myſticam reducta: Quod & hic factum: Propoſitioni enim ſimpliciter Abſonæ, immediate additur, *Hoc facite.*

Iſta quidem ſitim excitant non ſedant: & mirari ſubit clariſſimos nonnullos hujus etiam ſæculi viros, viam æque Apertam & Directam, Conjecturâ tantum, non Experientiâ detexiſſe.

*Munſterus* in Matt. 26. 21. *Sciendum quod mos olim celebris fuit apud Judæos, multaque ſcripta habent de fractione panis, & benedictione calicis.*

Idem *Camero*, idem & plura *Grotius*, qui *Græcos* æque ac *Hebræos*, Feſta calice ſolenniter benedicto clauſiſſe probat.

*Hammondus*

*Hammondus* etiam noſtras celeberrimus, in Paraphraſi ſua ad Inſtitutionis hiſtoriam ab Evangeliſtis recitatam *Matt.* 26. & *Luc.* 22. *Chriſtum* cœnam *Paſchalem* reſpexiſſe autumat. Sed argumento *Pauli* 1 *Cor.* 11. 26. neceſſarium invenit, non *Paſchali* ſolum, ſed Aliis etiam *Feſtis*, inſtitutionem accommodare.

Cum ergo Utraque nobis conſideranda ſint; quæramus an occurrat aliqua *Judæorum*, in feſtis celebrandis conſuetudo, quæ omnibus tam in Domini noſtri *Inſtitutione*, quam in Apoſtoli *Diſſertatione*, phœnomenis exactè reſpondeat; nec pudeat à *Theologis* noſtris ad *Judæos* etiam plebæos in Myſterio maximo explicando appellare.

*Cultum Divinum Feſtis* celebrandum, & reciprocè *Feſta Cultu Divino* ſanctificanda eſſe, omnibus omnium gentium ſæculis agnitum, & ipſe Deus lege *Judæis* latâ confirmavit: Sic enim *Lev.* 17. 3. *Quiſquis fuerit è domo Iſrael, qui bovem, aut agnum, aut caprum intra vel extra campum mactabit, & non offeret ad*

*oſtium*

*oſtium tabernaculi congregationis ad offerendum oblationem domino ante tabernaculum Domini, ſanguis illi imputabitur, ſanguinem effudit, & homo ille à populo abſcindetur.* Hoc quamdiu populus cum *Tabernaculo* ſive iter,ſive quietem agebat factu promptum : cum autem Populo per totam terram diſperſo, Tabernaculum unicâ in urbe fixum fuit ; tum enimvero ab obſequio nequaquam jam poſſibili, diſpenſationem flagitabat neceſſitas ; datamque reperimus, *Deut.* 12. 21. *Si locus quem elegerit Deus, ad inibi ponendum nomen ſuum, à te remotior fuerit, tunc ex armento & grege tuo mactabis quæ tibi dederit Dominus, ſicut tibi præcepi* ; *& in portis tuis comedes quicquid concupiſcet anima tua.* Sic *Deus* & *Legi* & *Populo* conſuluit, benignè populo poteſtatem diſtantiæ determinandæ indulgens. *Illi* è converſo, gratitudine ducti, obſequium legi ita præbuerunt,ut in qualibet loci diſtantiâ, ſi ad *Altare* cibum ſuum afferre non poſſent, *Menſas* ſuas ad ſuccedaneorum Altarium dignitatem evexerunt, & receptam à Patribus Traditionem, Moderni etiamnum retinent. Quum

Quum enim diſcubuerint, paterfamilias panem ſumit eique benedicit, frangit & cuilibet fruſtulum, olivæ magnæ circiter quantitate pari, diſtribuit. Hoc בציעת הפת dicitur, viz. *Panis Fractio*, addita pani emphatica ה, demonſtrativâ vi præditâ. Ex hoc officio *Paterfamilias* בוצע, h. e. *Fractor* nuncupatur. Hæc in cœnis quotidianis. * Sin *Tres* vel plures conviventur, eâdem *Panis Fractione* inchoatur, ſed alio inſuper ritu clauditur convivium: aliquis enim è convivis Præcipuus, ad cœnæ finem, cyathum lavari præcipit, eumq; vino replet, & de menſa tollit, voce elatâ dicens, *Fratres illius nomini benedicamus*

* Zohar. in *Exod.* p. 280. כוסל ברכה *Calix benedictionis non uſitatus niſi ubi Tres, propter Tres patres qui benedixerunt.*

Par Eliæ demonſtratio, viz. *Tribus aut pluribus unà cænantibus, inter quos Paterfamilias aut aliquis venerabilis Rabbi, ſi talis inter convivas adfuerit, obligatur ad precandum, & menſæ benedicendum voce audibili, ut dicitur.* Pſal. 34. 4. *Magnificate dominum mecum.* Magnificate, *ibi ad minimum Duo*; Mecum, *ibi* Tertius. *Si duo tantum adſint, uterque privatim proſeipſo precatur.*

*dicamus cujus bonis ſaturi ſumus.* Poſtea Paterfamilias(aut ſiquis adſit Rabbinus) ex eo vino quod in calice tenet, paulum cuilibet communicat, & ipſe etiam inde bibit, & ſic à menſa ſurgunt.

§ III. NOnnullis forſan adeo impar videbitur *typus* iſte, ut comparatione ejuſmodi magis dehoneſtari videatur *Cœna Domini*; quam illo, quem damnavit *Apoſtolus*, *Corinthiorum* luxu; quem ipſi etiam in comeſſationibus ita vel imitantur vel ſuperant, ut hoc maximè ſpectare videantur, ne quid menſa ſua dominicæ congruum habeat.

In plurimis opulentorum conviviis *Religionis* mentio nulla, niſi ut explodatur. *Aſiaticè* epulantur, *Corinthiacè Græcantur:* & cœnam, *Græcorum* more, vino claudunt; ſed non uno, eóque inter omnes diſtributo, cyatho.

Et nequid occurrat de quo Dominus dicat *Hoc facite*; relicto majorum ritu, more à *Gallis* nuper recepto, ſine ulla dapum Benedictione diſcumbitur,

ſine

ſine ullis *Gratiis* Deo redditis, inde ſurgitur, & ſicubi *decoris* gratiâ, aliqua benedictionis umbra retinenda videatur, voce adeo ſummiſsâ, ſyllabis adeo pauculis muſſitatur, ut pudere videatur. Imò, illud quod ad noſtra uſque ſæcula ſaltem inter Eccleſiaſticos duravit *Poculum caritatis* (*Eucharistiæ* potiùs) poſt illam benedictionis umbellam, in poculum degeneravit, neutiquam *Christi*, ſed *Viventium* commemorativum; nec jam de menſa ſurgitur niſi à *Fœminis*; manent *Viri*, & id agunt quod olim *Græci*, apud quos ea fuit inter *Sacrificia, Convivia, & Ebrietatem Connexio*; Ut hanc aliter non exprimerent, niſi per illam † relationem.

At longè alii *Hebræorum* mores: Convivia ſine ſacrificiis prohibuiſſe legem vidimus; hoc nihil aliud fuit, quam illa Deo conſecrare, & luxu interdicere. Inde eſt quod *Aaron & omnes Iſraelis ſeniores cum Moſis ſocero panem comediſſe dicantur*

† μεθύειν, h. e. μετὰ τὸ θύειν.

*dicantur* coram Deo. *Exod.* 18. 12. nec eorum posteros intemperantiæ uspiam insimulatos memini. *Josephus* certe & *Philo*, Institutionis Dominicæ tantum non coætanei, de gentis suæ sobrietate gloriati sunt, gloriantur etiamnum hodierni *Judæi* : Forsan non immeritò, certè non sine causâ, cum luxus tali frœno cohibeatur. *Mensam*, *Altare* nuncupant; dapes *Oblationem*; ad finem cœnæ *cultellos* de mensâ tollunt, quia *ferreis instrumentis* altare interdixerat lex divina ; *salem* ideo cœnæ necessarium censent, quia lex *sacrificiis* annexuerat ; cæteraque ita & agunt & loquuntur, quæ *Mensam* in *Altare succedaneum* consecratam demonstrent. Pari veneratione ad hæc accedunt, solenni cum precatione & ceremonia cœnam incipiunt, benedictione & cæremonia alia solenniore claudunt ; inter hæc temulentiæ Antidota, pietatis Cardiaca, quid occurrit pudendum?

Quid quod *Institutionis* apparatus non fuerint *Dapes*, sed ipsum *Sacramentum* : *frustulum* panis minutum, *cyathus* vini unus inter plures distributi, & (quod

(quod mox videbimus) *aqua misti*, Sacramento *instituendo* suffecit, & luxui *cohibendo.* Si jam *Cœnam Dominicam* à *Mensa* derivare pudeat, derivemus ab *Altari*; & pietatem *Judaicam* eo magis vel imitemur vel superemus, quo majorem gratitudinem meretur, *Sanguis Christi*, quam *Uvæ*: Sic, cum luxu, objectionem inde derivatam tollemus, mensæ pietatem, cœnæ dominicæ debitam celebrationis frequentiam restituemus.

Non sane *Pietati* ista magis quam *Rationi* consentanea; sed effrænis *Græcorum* licentia nullis obstaculis cohibenda, ipso Domini poculo ad ebrietatem abusa, ingratam Apostolo provinciam imposuit. *Corinthios* scilicet pluribus collaudatos, tandem ita corripit, ut id nolle innuat. *Nunquid in hoc* (inquit) *vos laudabo? non laudo*: & à præfatione leni ita procedit, ut *Mores* castiget, *Errores* corrigat, *Pœnas* denunciet, & *Remedium* adhibeat.

Cum hanc unicam habeamus veritatis dignoscendæ tesseram, quantâ possumus sinceritate & industriâ, indaganda

ganda anxia illa Apoſtoli diſſertatio, qua non tam *Suam* ipſius, quam *Domini Chriſti* intentionem, *Corinthiorum* luxui opponit.

§ IV. IN hoc opere nimis neceſſario, ut tutiùs procedamus, Eraſmum audiamus, neceſſariam nobis clavim præbentem, ſic enim ille ad 1 *Cor.* 7. 39. *Opinor hanc eſſe præcipuam clavim ad intelligendam Myſticam Scripturam: diſpicere quid agat is qui loquitur, præſertim in Paulo qui lubricus eſt in diſputando, nunc huc nunc illuc ſe proripiens, ut* (quemadmodum inquit Origines) *vix intelligat lector, unde progreſſus quo educatur.*

In primæ ſuæ ad *Corinthios* Epiſt. *cap.* 11. hoc egiſſe *Paulum* ut eorum in publicis cœtibus mores corrigeret, ex accuſatione ter repetita & in majus aucta patet, ver. 17. *cum Congregamini.* ver. 18. *cum Congregamini in Eccleſia.* ver. 20. *cum Congregamini* ἐπὶ τὸ αὐτὸ *in loco conventibus ſacris deſtinato*; ut Act. 21. *Ibi* (inquit) οὐκ ἔστι, h. e. *dici non poteſt celebrari cœnam domini.* Et habuerit

habuerit forſan *Confitentes*, imò *Profitentes* reos.

Nec enim mirum, ſi in illum errorem inciderint *Corinthii*, in quo eouſque jacuiſſe videntur ipſi etiam *Apoſtoli*, dum à *Spiritu Sancto* id acceperint, quod *ſe à Domino accepiſſe* teſtatur ipſe. *Dominum* enim cœnæ ſuæ panem & calicem non conſecrâſſe niſi *Paſcales*, cogitâſſe obvium. *Cœnam Paſcalem* qua *Paſcalem*, ſumma cum lætitia amplexus eſt, licet ultimam, & aliàs maxime horrendam. *Deſiderio* (inquit) *Deſideravi* (non hanc Cœnam, ſed) *hoc Paſca vobiſcum comedere, priuſquam patiar*, *Forma Inſtitutionis Paſcali* conſona. De agno illo *Judæi* dicere ſoliti, *Hoc eſt corpus* Paſcatis; ſola Cœnâ *Paſcali* panis ad finem diſtribui ſolitus, idque cum hoc elogio, *Hic eſt Panis afflictionis, quem patres veſtri in Ægypto comederunt, cuicunque libet, ex agno Paſcali comedat.* Cum Dominus nullâ notâ diſtinctivâ illi errori præcaverit; promptum fuit, maluiſſe illum Commemorativum maxime *Solennem*, in Feſto omnium *Maximo*. Sive hæc

fuerit

fuerit *Corinthiorum* ſententia, ſive non, potuerunt tamen eam præ ſe ferre; eâque excuſatione ſe pugnare, qua ipſe Apoſtolus coram Pontifice maximo uſus fuerat; viz. *Non dignovimus cœnam Domini, illi enim ſummam deberi reverentiam agnoſcimus.*

§ V. HUIC ſive *Errori* ſive *Prætextui*, Inſtitutionis dominicæ Intentionem opponit *Paulus*; ita recitatæ, ut additâ Clauſulâ, à Domino ipſo ſibi revelatâ, & à ſe illis tradita, ſed ab Evangeliſtis vel per oblivionem vel incuriam neglectâ, at jam in memoriam & obſervationem revocandâ; eam fuiſſe Domini intentionem pateret, ut non *Paſcali* tantùm, ſed omnibus Conviviis celebrandum vellet ſuum *Calicem Benedictionis. Accepi* (inquit) *à Domino quod vobis tradidi.* N. B.

1. Aſteriſcus ille non niſi primæ magnitudinis dictis apponi ſolitus. 1 *Cor.* 15. Fundamentalem *Chriſtianæ* Religionis Articulum (imò pluſquam Articulum) cum titulis illuſtriſſimis inſig-

insigniisset. *Evangelium* ——— *quo salvamini* ——— *in frustra credideritis*, &c. versu tertio, easdem addit quas nunc, Syllabas. Cum totius *Evangelii* veritatem stabilire vellet, eadem phrasi aliquantum confirmatâ, dicit, *Non hoc accepi, non edoctus sum nisi revelatione Jesu Christi.*

2. Notandum insuper *Paulum* peculiari modo *Christi* discipulum fuisse; non quidem in terrâ *conversatione* ejus cum aliis beatam, sed *revelationibus* cœlitus identidem receptis abundè compensatum.

*Lucas* quidem (ut in epitome decuit) in revelationibus illis recitandis parcus, illam qua conversus fuit *Paulus* breviusculè describit: At ipsum coram *Agrippâ* causam agentem, largiùs verba *Christi* enarrantem, dixisse memorat, *Hac ipsa intentione tibi apparui, ut te ministrum facerem & testem tam horum quæ vidisti quam illorum in quibus tibi apparebo* Proinde hoc jam prooemio *Corinthios* monet, se veritatem annunciare, nec *Dubitandam*, nec *Contemnendam.*

Clausula

Clausula sic authentica habetur, *v.* 25. ὁσάκις ἂν ποιῆτε, quæ in *Dissertatione Apostolica* eadem vi pollet, qua in *Institutione Dominicâ* voculam HOC præditam demonstravimus. Æque enim *Relato* debetur *Correlatum,* ac Demonstrativo demonstratum. Qui nil aliud inde notari volunt, præter Relationes internas inter *Actionem* & Agendi *Modum* reciprocas,

1. *Christi Institutionem* & *Pauli Diatribam* irritas reddunt. Nam ista Æqualitas æque exacta fuerit, si utrumque in totum *Negligatur,* ac si utrumque studiosissime *Peragatur.* Imo

2. *A mensa* domini cautum quemque abegerit. Qui enim nunquam accesserit, præceptum nullum violaverit; qui indignè accesserit, reatum tremendum incurrerit: hinc cum *Otio* salus; inde cum *Labore* periculum.

At errori isto opponitur, *ver.* 26. quo *Relatio* demonstratur, non ad *Intentionem* nostram, sed ad ipsos indefinitè *Conventus,* ipsius Domini *Institutione* orta. *Quoties feceritis hoc,* facitis & *illud:* hæc ita *conjunxit Dominus,* ut

ut illa ſeparare penes vos non ſit; ſed velitis nolitis, *quoties* cœnam publicam, *toties* cœnam dominicam celebratis.

Hæc Aperta & Grammatica eſt verſûs 26 Intentio, non aliter interpretandi; hanc non minus *Logica* quam *Grammatica* vendicat; à propoſitione immediatè Præcedente regulariter Procedens, imediatè *Subſequentem* æque regulariter Infert. En tibi *Soritem!* A Domino recepi, voluiſſe ſe in cœnæ ſuæ inſtitutione, ut *Traditio* illa, quæ Convivia omnia *Pane & Vino* conſecranda præcepit, ad commemorationem benignitatis divinæ, *Corpora* donis ſuis foventis, perpetuò obſervetur; ſed altiùs evecta, in *corporis & ſanguinis Meorum commemorativam, Animas* veſtras ſpiritualibus beneficiis enutrientium. Ergo *Hic Panis & Hoc Vinum*, quæ ex antiqua illa *Traditione* in quolibet Convivio ſumitis, *corpus & ſanguinem Chriſti* ex ſua ipſius Inſtitutione repreſentant; ergo qui *Panem hunc & Calicem hunc indignè ſumit, corporis & ſanguinis Chriſti reus eſt*; ergo Vos rei eſtis, dum irreverenter vos in

Conviviis

Conviviis vestris *Ecclesiasticis* geritis.

Hic irrefragibilis argumenti Apostolici processus, hæc validissima *Membra*: libeat insuper anatome exactiore, eorum etiam *Articulos*, imo minutissimas *Fibrillas* dispicere.

§ VI. 1. APostolus *ver.* 20. Accusationem proponens, *cænam dominicam* disertim nominat: at in ea prosequenda, non nisi *hunc panem & hunc calicem*: quia illi reverentiam deberi supponendum; de his vel negatum, vel dissimulatum.

2. Vers. 21. ἕκαστος τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει· si quilibet *propriam* sibi *cænam Ante* alios captet, quis capiet *Post* alios? voluit ergo *Apostolus* illos cœnam publicam, quæ poscænio ex more præcessit, non ut *communem* sed ut plures *privatas* Cœnas sumpsisse: eóque pauperibus famem & pudorem pro Convivio obtigisse.

3. Huic malo remedium congruum *ver.* 33. præscribit ἐνδέχετε ἀλλήλους *conviviter tractate vos invicem. Divites,*

*pauperibus* communicate quæ vobis abundant; & qui gulæ indulgent, *domi* in *privata* ſua menſa id agant, Ergo,

4. Quos in Eccleſia damnat mores, domi indulget, *verſ.* 22. *Apud ſe*, ut libet comedant & bibant; non eadem laribus *privatis* debetur reverentia, ac *Eccleſiæ* Dei.

5. Inſtitutionem ita recitat, ut ſtudiosè, imò anfractuosè, *Calicem* majore honore dignetur quam *Panem.*

1. Diſertim tempus illi proprium tribuit, *poſt cænam*; de Pane in medio relinquit utrum ante? an poſt, an neutrum?

2. Emphaticum *Articulum calici* præfigit, non *Pani.*

3. Eadem partialitate procedentem Dominum deſcribit; *Panem indefinitè* & quaſi incuriosè τȣ̃το ſimpliciter nuncupantem; *Calicem* autem magis honorificè, τȣ̃το τὸ ποτήϱιον.

4. *Calici* nomen *Domini* inſcribit, non autem Pani.

5. *Calicem*

5. *Calicem* peculiari cum *ſanguine* ſuo *Relatione* honoret, *Panem* non item.

6. Quod maximè notandum. Vocem ὅσακις quâ totius argumenti cardo vertitur, *Calici*, non *Pani* annectit: ídque invita voce ὡσαύτως, quæ jam aliam ſimilitudinem ſignificare non poteſt, niſi quæ ſimili ad *Traditionem* utriſque communem, Relatione oriatur.

7. In concluſione demum *Panis* articulo emphatico inſignitur, Argumento jam id poſtulante; ſed *Calicem* titulo anguſtiore *Calicem Domini* nuncupat: quia inde pendet ipſius *Argumenti* vis tota.

En jam *Apoſtoli Argumentationem*, omnibus numeris abſolutam! Quo plures & magis tranſverſæ occurrunt in ſera *t icaturæ*; cum *clavis* progreſſum non *impediant*, ſed promptiùs *conducant*; eò fortiùs mutuam eorum relationem demonſtrant.

§ VII. SIcui ista non sufficiant, eandem clavim suppari ejusdem Apostoli argumento, capitulo immediatè præcedente, eâdem animi applicatione inspiciat. Monet ibi *Apostolus Corinthios*, nè in *Templis* cum *Idololatris* conviventur. Argumentum ab eodem topico deductum, duobus pedibus procedit. 1. A *Cœnæ Dominicæ Dignitate.* 2. Ab ejus *Inconsistentia* cum cœnis Idololatricis.

1. *Cœnæ Dominicæ Dignitas* asseritur ver. 16. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, *Calix ille benedictionis illius quem benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis ille quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi?*

*Calici*, ut prioritatis ordinem (non obstante Institutionis methodo) ita proprium characterem præbet. *Judæi* etiam hodierni illum appellitant כוס של ברכה המזון, quod in Græcam Linguam τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας literatim transit.

*Pani* itidem (utcunque primogenitura spoliato) suum etiam *characterem* exactissimè

exactiſſimè tribuit; Panem nuncupans, non quem *benedicimus* (ut calicem) nec quem *comedimus* (ut in cœnis quotidianis, ſed) *quem frangimus* in Conviviis At quare loco pulſum? Quorſum iſta manuum tranſpoſitio, *Joſephi* ad inſtar dicentis, *Hic revera magnus, at frater junior major erit?* Ideò, quia Convivium privata cœna lautius, majore gratitudine è *Traditione* celebratum, eoque ſolenniore Inſtitutionis honore dignius.

Sin hoc, tam *Inſtitutionis* quam *Traditionis* ordini incongruum videatur, nequid inde offendiculi oriatur; accurata characterum diſtributione præcavetur. *Calicis benedictio Corinthiis* probe nota; *Panis Benedictio Hebræis* quotidie uſitata, ſed alio *charactere* notata, non temere alia phraſi jam exprimitur, quam *Traditionali* illa, *panem quem Frangimus.* Anfractuoſa illa ſed & exacta procedendi ratio, æque *Argumenti Apoſtolici* vim, ac *Inſtitutionis* cum *Traditione Affinitatem* confirmat.

2. Cœnæ Dominicæ cum Idololatricis inconſiſtentia habetur verſ. 21. *Non poteſtis Calicem Domini bibere, & Calicem dæmoniorum : non poteſtis Menſam Domini communicare, & Menſam dæmoniorum.* *Calix* & diſertim, & primo in loco memoratur ; *Panis* non *poſtponitur* tantum, ſed in totum *omittitur*, & pro illo *Menſa* ſuccenturiatur. Quam exactè utrumq; *Græci* tam Poetæ quam Hiſtorici docent : Unum teſtor *Scholiaſten*, qui *Judæorum Traditionem* deſcripſiſſe videtur ; ait enim, Ἔθος ἦν ὁπότε μέλλοι ἡ τράπεζα ἄρεσθαι, ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιῤῥοφεῖν· huc alludere videtur *Apoſtolus*, titulo tamen *Boni Dæmonis* in diminutivum *Dæmoniorum* depreſſo.

At *Pani* cum rivalem in *Idololatricis* Conviviis non inveniret, *Inſtitutio* autem divina *mentionem* ejus aliqualem poſtularet ; ne mancum videretur Argumentum, cum *Panem Pani* non poſſet, *Menſam Menſæ* opponit.

Quam accuratè omnia! quot tricaturæ! quam tortuoſæ! quam tranſverſæ! quantæ & quantillæ! & quam

exactè

exactè omnibus occurrit clavis! maximis pariter Argumenti Membris, & minutissimis Fibrillis concinna! Qui his non acquiescit, omnes inventionis suæ vires convocet, Ænigma pro arbitrio fingat, tot ambagibus perplexum, tam luculenter explicatum; tum demum clavim hanc si æquatam rejiciat; interim meminerit *Taleas* sibi mutuo amussitatas, non fortuitum *concursum*, sed accuratam *operam* indicare.

§ VIII. NEC tamen hic subsistere licet. Tot sæculorum altum silentium, & summa *Mysterii* tremendi veneratio, originem adeò vilem fortius rejicient, quam Demonstrationes etiam validissimæ impellent. Huic ergo *tesseræ* hypothesin utcunque firmam submitto. Si enim à Domini Resurrectione ea fuerit *Apostolicarum*, & immediatè subsequentium *Ecclesiarum* praxis, ut in sacris omnibus *Conventibus* Convivia & Celebrarent, & Cænâ Dominicâ Clauderent; ejusmodi certè *Praxis* loquax erit; nec pro *Silentio*, nedum *Negatione*, sed *Confir-*

*matione* habenda. Quis enim dubitaverit, *Actionem* infallibilem esse *Dictorum* Interpretem? *Historiam* ergo à fonte ad nostra usque sæcula, qua licet brevitate & perspicuitate deducamus.

Ultimam suam cum Apostolis cœnam, cum sibi Desideratissimam dixisset *Christus*, immediatè sequente Institutione, verba illa interpretatus est. Cum enim morientium sermones superstitum amicorum animis Altiùs imprimantur, horridissimam (aliàs) noctem, maxime tempestivam æstimavit, ut ereptam *Sibi* vitam *Institutioni* tribueret.

Ista autem *horrida* nox, utcunque futuris sæculis congrua, Præsentium attentioni minimè accommoda; cum impendens periculum animos eorum ita conturbaret, ut dictorum observationem & memoriam excluderet. Huic obstaculo remedium applicavit *Christus* adeo expeditum, ut nuperrimè acta in Memoriam revocaret, & Observationi commendaret.

Historia

Historia occurrit *Luc.* 24. 13. eâdem incuriâ Tunc ab *Apostolis*, ac Nunc à *Nobis* accepta. Discipulis duobus unà itinerantibus, tertium se adjunxit, sermones miscuit, opportunitatem præbuit, vultum, vocem, gestum, omnia sui indicia observandi. Hi autem (ut videtur) discipuli erant illi Noti, non Intimi. Eóque hoc solum dignoscebant, *Rabbi* fuisse, scripturarum peritissimum, eóque *Fractoris* munere dignum; Eo munere dum inter cœnandum pro more fungitur, mutatâ eousque benedictionis formâ, ut postulârunt circumstantiæ; *novæ Institutionis Authorem* non agnoscere non potuerunt. Advertamus jam

Unde factum (& studiosè observatum) ut oculi eis aperirentur ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, *in* (vel potius *per*) *ipsa Fractione ipsius Panis?* (utrique enim præfigitur Articulus emphaticus) quorsum Scenam adeo Solennem? tot circumstantiarum Apparatum? *Cœnam*, numerum *Ternarium*, *Panis Fractionem?* cum ipso occursu oculos illis aperire faciliùs posset.

I 5 Quorsum

Quorſum ipſi Diſcipuli hanc ipſam *Circumſtantiam Apoſtolis* adeo ſtudiosè annunciabant? Quomodo ipſe *Evangeliſta* tam ſolicitè recitabat?

Etiamnum tamen detinentur ipſorum *Apoſtolorum* oculi, causâ priori contrariâ ſed æquè efficaci, nimio *ſcil.* jam (non dolore ſed) gaudio. Quamvis enim eodem momento ipſe appareret, memorat *Lucas* eos *præ admiratione & lætitia non credidiſſe*; nec intelligebant illum id egiſſe, ut *Inſtitutionis ſuæ intentionem*, æquè ac *Reſurrectionis veritatem* manifeſtaret.

Per totos quadraginta dies oculos ita illis occluſos manſiſſe idem innuit *Lucas*; dum hæc memorat eorum pietatis Exercitia, *ſemper in templo erant Deum laudantes eique benedicentes*: & rurſus * *Omnes unanimiter in precatione & ſupplicatione permanebant.* de *Fractione interim panis* ne gry quidem. At ab illapſu Spiritus Sancti † hoc cæteris additur *Permanſerunt in Apoſtolorum*

* *Act.* 1. 14 † *Act* 2. 24.

*rum doctrina, & communione, & Fractione panis, & precatione :* & verſu 46. *Permanentes quotidie conſenſu unanimi in templo & panem frangentes,* κατ᾽ οἶκον*, cibum ſimul ſumpſerunt cum lætitia & cordis alacritate.*

1. Exercitia omnia Sancta, Benedictio, Supplicatio, Precatio, quid Pani cum illis ?

2. *Phraſis* illa diverbialis *Traditionem* ſonabat. *Panem Comedere* idem valuit ac cœnam agere. Eum jam honorem à *Luca Pani* dari, quem *Calici* tribuiſſe *Paulum* obſervavimus (præter idioma vulgare) Eccleſiæ fama poſtulavit. Qui enim die *Pentecoſtes* adeo procaciter *Apoſtolos* ebrietatis inſimularunt ; hanc calumniandi anſam neutiquam prætermiſſuri forent, ſi profeſſi eſſent vel *Illi* vel illorum *Diſcipuli*, ſe ideo convenire ut *Biberent*.

3. *Locus*, primo quidem aſpectu ſacris publicè peragendis *incongruus* videtur : At Græcum κατ᾽ οἶκον Locum ſonat *Templi* æmulum. Illic *Chriſtiani* cum *Judæis* in precationibus aliiſque Religionis, tam Univerſalis quam Moſaicæ

laicæ officiis, æque tutò ac pie communicare licuit. Si autem cœnam Domini inibi celebrare ausi essent, certam sibi pernitiem ab irritatis gubernatoribus accersissent.

Quærendus ergo locus *Templo* succedaneus, Sanctitate quidem inferior, at Incolumitate superior. Fuisse *Judæis* non tantùm in urbibus *Synagogas*, sed & ædibus amplioribus ὑπερῷα, cameras conventibus destinatas, ex ipsis etiam sacris literis aliquatenus patet. Tali in *camerâ*, Pascati celebrando aptâ & paratâ, Cœnam suam *Instituit* ipse *Christus*; Tali, cum discipulis numero 120 convenerunt *Apostoli*: Tali, Discipulis postridie Sabbati congregatis τοῦ κλάσαι ἄρτον * *Paulus* sermonem extendit ad mediam noctem. Hæ cameræ οἶκοι κατ' ἐξοχὴν dicebantur. Hujusmodi οἶκος cum *Templo* conjunctim occurrit, † *Quotidie non cessabant Apostoli, & in Templo & κατ' οἶκον Dominum Jesum Christum prædicare.* In *Templo*

* *Act.* 20. 7, 8. † *Act.* 5. 42.

*Templo*, ut populum illuc accedentem *converterent*; κατ' οἶκον, ut Fratres jam conversos confirmarent.

Observandum insuper hanc vocem, data occasione, numero plurali usitatam hanc notionem confirmare, nam * *Paulus* actorum suorum rationem *Ephesianorum Presbyteris* reddens, dicit se publicè & κατ' οἴκους prædicasse. *Asia* scil. Provincia, plures habuit & Urbes & οἴκους *Hierosolyma* urbs fuit, *Magna* quidem, sed *Unica*; eóque unica domus publica suffecit.

4. *Tempus*, aliud *Hierosolymis*, aliud *Ecclesiis* remotioribus, sacris cæteris & huic cœnæ dicatum. In illa *Metropoli* residebant *Apostoli*, & Temporalia prætermittentes, ecclesiis aliis Congregandis vel *Confirmandis* incubuerunt, †*Illic omnes qui credebant unà habitabant, & omnia communia habebant; bona & terras vendebant, & omnibus communicabant prout cuilibet opus erat.* His, largitionibus ad paupertatem redactis, *Christianis*

* *Act.* 20. 20. † *Act.* 2. 45. & 4. 35.

*Christianis Hierosolymitanis* ſuccurrebant *Eccleſiæ Græcæ*; cum autem nec illis nec ſibi proſpicere poſſent, ſi more eodem *quotidianis* ſacris vacarent; ut *Locum Templo*, ita *Diem Sabbato* ſuccenturiabant. Diem ideo Proximum, ipſa Proximitate aliquantum, at Domini *Reſurrectione*, multò magis congruum, ſacris Conventibus dicarunt, hac de cauſa diem **Dominicum* dictum, & poſtea *diem Panis* (Chryſ. Hom. 5. de Reſur.

† Eodem die eiſdem conventibus caritas in pauperes celebrata. Unde hæc *Feſta Caritatis* dicta.

§ IX. HActenus ad amuſſim omnia. At *mortuis Apoſtolis*, paulatim irrepſerunt corruptiones. Si enim Viventibus & Spectantibus illis, *Calice Sacro* Græcari non puduit; quid eis Remotis expectandum? Coacti Paſtores effrænatæ plebi aliquantum obtemperare; & Circumſtantiarum jacturâ,

* *Rev.* 1, 12. † 1 *Cor.* 16, 1, *Jud.*

râ, periclitantem Reverentiam redimere, Tempus à *Veſpertino* ad *Matutinum*, non gentilium tantum *Perſecutionibus* ſed & populi *luxui* præcavendis, tranſtulerunt; & quæ ne ſic quidem corrigere poterant *Convivia*, *Sacris* interdicebant: eouſque interim circumſtantiis debitis conſulentes, ut populo non niſi *Mane* communicatum, Calicem à cœna participarent *Epiſcopi* cum *Preſbyteris* in urbe Epiſcopali commorantibus.

Hos fuiſſe *Secundæ Centuriæ* mores teſtantur *Tertullianus*, *Cyprianus*, &c.

*Juſtinus* eodem ſæculo *Chriſtianorum* in Cultu divino rituum *Imperatori* hanc rationem reddit; *Eo die qui ſolis dicitur, conventus habetur omnium urbe & rure habitantium: Et peracto Lectoris officio præſes orationem habet qua populum hortatur ad imitanda tam pulcra. Tum omnes ſurgimus & precamur; & (ut dixi) producuntur Panis, Vinum & Aqua, & Præfectus iterum quanta poteſt vi Preces & Laudes effundit, & Populus elatâ voce reſpondet Amen! & eo-*

*rum*

*rum de quibus habita est benedictio communicatio fit omnibus præsentibus.*

Observanda jam ulterior *Institutionis* cum *Traditione* concordia. *Misna* in *Beracoth* docet *Judæos vino* non ante benedicere, quam *aqua* mistum fuerit; & eam actionem æque diverbialiter *Calicis mixtionem*, ac alium *Panis fractionem* appellitant. Totâ ad *Cæcilium* Epistolâ hoc agit *Cyprianus*, ut necessariam hanc mistionem demonstret; & *Christum* hoc & egisse & præcepisse summa confidentia denunciat; de quo tamen siluisse, & *sacras literas*, & primævos Ecclesiarum *Patres*, non est quod miremur; cum in promptu sit, vel Superfluum eis visum illud memorasse, quod omnibus tum temporis notum; vel intercidisse illa eorum scripta quæ sequentibus ingrata forent.

Sæculo quarto *Mensâ Sacrâ* arcebantur, non *Epulæ* tantum, sed ipsi quodammodo *Convivæ*: translatæ sunt *Apostoli* reprehensiones ab *Actionibus* ad *Personas*: non tantum ii qui *indignè* hoc agerent, sed qui *indigni* accederent, damnati: & *Poculum Benedictio-*

*nis*

*nis* in Poculum terroris degeneravit: *Chryſoſtomo* ita cum *Apoſtolo* expoſtulante, *Quid ais B. Paule cum auditorem confundere libet, & φρικτῶν μυστηρίων meminiſſe τὸ φοβερὸν καὶ φρικωδέστερον τοῦτο terribilem hunc & tremendiſſimum calicem, benedictionis calicem nuncupans.* Qua ſane Rhetoricatione, licet *Pauli* ruſticitatem corrigere non poſſet; ita tamen ſequentibus præcavit, ut ab eo tempore, non ſolum illa phraſis *Apoſtolica,* eouſque apud patres (ut decuit) omnium frequentiſſima, ſed & ignobiles aliæ phraſes, *Panis Fractio, Cœna Domini, Feſta Caritatis,* &c. obſoleſcerent, à veneranda illa MYSTERIA in exilium actæ; adeo *Paulo* (ne dicam *Chriſto*) prævaluit *Chryſoſtomus.*

*Myſterium,* ſcil. vox præfulgida, oculos præſtringit, nec quicquam *certi* denotat, ſed aliquid *Indefinitum,* quod Venerationem poſtulet, & Intellectum ſuperet; Iſtiuſmodi *Myſteria* indies multiplicata, *Sacramentum Chriſti* repræſentativum effecerunt, non *Crucifixi* ſed *Transfigurati,* dum ipſi *neſciant* quid *dicant.*

Publicè

Publicè interim *Eucharistiam* celebrari testatur *Augustinus*; Alibi *Quotidie sine intermissione*, Alibi *Diebus Sabbati* & *Dominico*, Alibi *Dominico* tantùm.

*Sæculo Quinto* cessasse Communiones *Quotidianas* testatur *Socrates*, *Historicus* idem & *Testis*. *Quamvis* (inquit) *omnes Ecclesiæ per totum terrarum orbem qualibet septimana die Sabbati communionem celebrant, Alexandrina tamen & Romana ex antiqua, traditione id facere recusant. At Ægyptii Alexandriæ vicini & Thebaide, etiam Sabbato celebrant, non autem more Christianorum recipiunt: A Convivio enim, variis dapibus repleti, vesperi, oblatione facta Mysteria communicant.*

At quid hoc! Adeóne Isto etiam sæculo, *sacræ literæ* ipsæ in *Mysteria* abière? Adeóne ignorasse viros etiam eruditos, unde *Traditionem* suam antiquam hauserint *Ecclesiæ Alexandrina* & *Romana*, & *Alexandriæ* vicini suum *Postcœnium*? Certè magis *more Christianorum* illi *Communicarunt* quam *Socrates* scripsit; si (historicis majore fide dignis) *Evangelistis* adhibenda fides: non *Mysteria* sed *Res gestas* enarrantibus. Cum

Cum autem *Nono Sæculo* multiplicatis *Myſteriis*, orbis *Chriſtianus* in diſſidia vergeret, Imperator *Carolus*, *Bertramo* viro eruditiſſimo, mandavit ut de *Cœnæ Dominicæ Myſterio*, ſententiam ſuam ſcriptis publicaret.

At quam iniqua *Rationi* cum *Myſteriis* pugna! Invicta aperto Marte argumenta, ex illa arce, Theologorum emolumento, & Populi ſuperſtitione propugnata, facilè repulſa; Hi indignitatis metu perculſi, menſam tremendam fugere; Illi emolumento ſuo ducti, venerabilem ſibi appropriare ſatagebant, novis ſemper Myſteriis inſtructam. Sic utrinque *Syncretiſmo* illi aſſenſum, quem populus *Moſi* propoſuit, ſed inverſo: Illic, *ne loquatur nobis Deus*; hic, ne loquamur nos *Deo*; illic, novit populus quid *Moſi* locutus ſit *Deus*; hic, quid *Deo* loquatur *Sacerdos*, ignorat.

Cum *Sacramento* enim ipſæ etiam *Preces* in *Myſteria* commutatæ; Lingua populo ignota, Voce ab eruditis non audienda, muſſilatæ, ipſa Pronunciatione corruptæ; non ſunt populi *Preces*,

ſed

ſed celebrantium *Myſteria*. Et intervertenda ſunt *Pauli ad Corinthios* verba, cum *Sacerdoti* populus jure dicere poſſit, *Quoties hoc facitis, Domini corpus ſpectandum præbetis*, Spectandum reverâ, quia in altum elevatis, vobis *Sacramentum*, populo Spectaculum.

Apparent ſane *Inſtitutionis* dominicæ veſtigia, eadem *Materia*, *Panis* (licet alia figura) & *Vinum*; eadem *Verba*, Hoc eſt Corpus meum; idem *Locus*, Menſa Eccleſiaſtica; idem *Tempus*, quoties Conventus: Imo ipſius etiam *Traditionis Judaicæ* rudera: *Altare* & *Sacrificium*, illi *Hieroſolymis* ad domicilia ſua, utcunque remota, transferunt, ſed per *Repræſentationis* figuram; Eâdem metaphorâ *Menſam Dominicam* ornârunt patres *Chriſtiani*. At *metaphoram* in ſenſum *Grammaticum* jam tranſlatum propugnant *Sacerdotes*, ut *attendentes altari cum altari participent*. At, prout poſtularit lucrum, *Corpus Domini* emolumento etiam ſuo *ſacrificant*. Summa ſane cum *Veneratione* adorant, non ſine genuflectionibus ſæpe repetitis, in manus ſumunt, in altum elevant

vant à populo adorandum, ſub auguſto conopeo, attendentibus cujuſque ordinis primoribus, ſubinde ſumma cum pompa circumgeſtant, occurrentes adorare cogunt, *&c.* Magnifica quidem iſta, & iſtiuſmodi alia: at ne hic etiam deſit *Myſterium*; idem adorabile domini corpus, pro quæſtu & arbitrio ſacerdotis viliſſimo cuique officio inſervit. Si pluvia vel deſit vel abundet, ſi in bovili bos, vel in equili equus langueat, ſiquid mali vel incumbat vel ingruat, de cœlo accerſitur *Corpus Domini*, ut ſacerdoti lucellum accedat.

Fatentibus, imo profitentibus ipſis, *Mactatur* denuo Domini corpus, morti traditur, eò impotentiæ redigitur, ut nec à muſculi nec arancolæ inſultibus ſe defendere poſſit: *ore* Sacerdotis (non ſemper puriſſimo) manducatur, per *ſtomachi* acores, & *inteſtinorum* fœtores in *latrinam* ejicitur, & (quod nec à *Judæis* paſſum fuerat) *corruptionem patitur.*

Ut pro hiſce Contumeliis compenſetur, *Sacrificium* dicitur *pro vivis &*

*mortuis*

*mortuis expiatorium.* Viderint *Vivi*, *Mortui* certe obicem non ponunt: Si pro hiſce, Sacrificium ſit expiatorium; tum *Miſſa* vel unica omnibus ſufficiet in Purgatorio tortis: At cave ſis. Hoc ſi concedatur, nemo vel annuas vel numeroſas, pro ſua ipſius, vel amicorum animis inde redimendis, coemet.

O Superſtitio! quam tenax es eorum quos occupaſti animorum? Ne ipſe quidem *Lutherus*, nec ejus Sequaces ſe emancipare auſi; Nihil ſane inde lucri captant, at *Myſterio* ita addicti ſunt, ut illius nomine *Schiſma* perpetuent; quam iniquum, ex dictis (uti ſpero) patet, non quidem elencticè per *Metaphyſicorum* tricas diſputatis, ſed hiſtoricè, per facta fluentium ſæculorum inveſtigata, oculis ſubjectis.

Si iſta non ſufficiant, ſed ſonus verborum omnibus & *Rationis* & *Hiſtoriæ* momentis præponderet, ne hanc quidem conditionem recuſamus. *Paulum* vidimus ideo *Poculum Pani* prætuliſſe, inverſo inſtitutionis ordine, quod ab *illo*, non ab *hoc*, procederet Argumenti ſui vis: Eodem & nunc honore impertiatur,

tiatur, cum eâdem polleat virtute, veritatis elucidandæ.

Si qua *Paulo* fides, Non de *Vino* dixit *Christus hic est Sanguis meus,* sed *Calix hicce est novum Testamentum in Sanguine meo,* Sensus ergo verborum maxime *Literalis* negat Vinum esse Sanguinem *Christi Naturalem* ; cumque eodem sensu *Utrumque* accipiendum, necesse est ut *Panis* eisdem verbis negetur esse corpus Domini *Naturale.* Eóque si nihil aliunde accederet absurditatis, ab ipsa *Institutione* emanaret *Grammatici* sensûs exclusio.

Efficaciùs, literalem sensum flagitantibus os obstruere non licet, quam ad illum provocando. Qui *Rationem* apertissimam *Mysterio* opponderandam negant, unum tamen *Elementum* gemello suo componere, non est quod graventur ; At eundem utrisque sensum tribuant, sive *Literalem,* sive *Mysticam* : Si utrumque *Mysticè* sumendum, cessavit *lis, Ecclesiis Reformatis* dolenda pariter ac pudenda. Sin Literaliter sumenda verba, nova inter ipsa *Elementa* lis orietur ; cum *Panis Calici* negare non

possit,

poſſit, non tantum eam quam *Paulus* largitus eſt præeminentiam, ſed quam negavit Dominus, æqualitatem.

Qui Rationem apertiſſimam ſenſui literali locum cedere jubent; id ponderis tamen illi negare non poterunt, ut è duobus ſenſibus literalibus æquilibratis ille præponderet, cui hæc acceſſerit.

Imò, ne nos quidem, qui *Corporis Domini Præſentiam* non niſi *Sacramentalem* agnoſcimus, metum illum quem impreſſerunt quarti (præſertim) ſæculi Patres, excutere poſſumus. *Paulum* plerumque ſuperat *Chryſoſtomus:* quem ille *Calicem Benedictionis* nuncupavit, hic Calicem *tremendum* & nuncupavit & effecit: & ſequentia inde ſæcula, dum illum majore indies *Reverentia* honorare ſategerunt; magis ſemper magiſq; & Metuendum & Fugiendum præbuerunt.

*Comminatio*, quam *Paulus Calicem hunc Domini indignè ſumentibus* intonuit, unâ mutatâ literulâ, in eos torquetur qui *Indigni* (licet non *Indignè*) accipiunt; & *Examinatio*, quam ille de

Actionis

Actionis Intentione præcepit (utrum ſcilicet Cœnam Domini an Convivium luxurioſum celebraturi eſſent) ad ſuam accedentium dignitatem ita pervertitur, & notis ſeveris intenditur, ut optimus quiſque, vel inde terreatur, vel magnâ cum anxietate (non ſanè veſte Feſtivâ) accedat : ipsâ interim accedendi obligatione, adeo vel frigidè memoratâ, vel in totum prætermiſsâ, ut Obſequentibus ingens imminere videatur periculum, Omittentibus nullum.

Sæculo ultimo præterito, vix alia agnita obligatio, niſi à *Legibus Eccleſiaſticis :* eis per bellum ſilentibus, altum etiam de *Cæna Domini* ſilentium : Reſtitutis legibus, eximius *Eccleſiæ Præſul*, & *Propugnator*, imo *Propugnaculum*, * libro diſerto inter *Reverentiam & Frequentiam* arbitrum agens, ita Auguſtinizat, ut in ambiguo maneat quid factu opus ſit, & hec demum regula anxios dimittit. † *Quamcunque propoſitionem*

K

* *The Worthy Communicant* † *Chap.* 1. § 5.

*tionem quispiam amplexus fuerit, in notitiam & memoriam cautè revocet, magna illa Appellativa quibus purissima Ecclesiæ Sacula, Liturgiæ antiquissimæ, & Sancti Dei eminentissimi, ornare & investire soliti sunt magnam hanc* MYSTERIOSITATEM.

En MYSTERIOSITATEM tam *Agendorum* quam *Credendorum* Labyrinthum, utinam eodem utrinque filo extricandum! Publicorum in cultu divino *Rituum* expressa manent apud Historicos vestigia: *Dogmatum* autem variationes, utcunque olim conspicuæ (forsan & oppugnatæ) sæpe ne scriptis quidem notatæ, sæpe cum ipsis monumentis, posteriorum vel *Incuriâ* vel *Industriâ* interiêre.

Quin attendamus propositam *Mysteriositatis* tesseram. Unde Originem, unde Authoritatem nacta est? Non à *Verbo Divino*, vel *Lumine Naturali*; sed à *magnis Appellativis*, quibus *Sæcula Ecclesiæ Purissima*, *Ornare & Investire*, h. e. Occultare solebant, veritatem nuditate contemptam.

At

At pace tanti viri, ad ipſos fontes aſcendamus, inde aquas limpidas hauriamus, additas in proceſſu *Myſterioſitates*, cœnoſis miſturis acceptas referamus: Imò quanta *Myſterioſitati* debeatur *Reverentia*, ab eodem egregio ejus propugnatore diſcamus.

* *Sacra* (inquit) *Synaxis aut Cœna Domini, Sanctiſſima eſt* Myſterioſiſſima *& Utiliſſima conjugatio rerum & officiorum* Secretorum & Sacrorum *in Religione totâ. Non facilis eſt intellectu, nec leviter accipienda: non multum in Scripturis Novi Teſtamenti revelatur, ſed ſemper in naturâ ſua Myſterioſa relicta; Doctorum ſcriptis nimis extricatur, & ſubtiliter tractatur, tanquam Doctrina philoſophica, per explicationes intricata, & difficilis reddita per aperturam & ſolutionem Diſtinctionum. Sic aliquando nubem lucidam cernimus in figuram irregularem formatam; cum per ignaros & phantaſticos viatores obſervatur; aliis Centaurus, aliis caſtellum videtur; alii exercitum*



* *Introductio.*

*ercitum cum vexillis ſe vidiſſe & bellum portendi dicunt; alius autem ſociis argutior, ait ovium gregem manifeſte repræſentari, & copiam indicari. Ipſa interim nil aliud quam nubes lucida, per mobilitatem propriam & venti activitatem in figuram fortuitam & informam redacta,*

*Ita ſe habet in magno hoc Religionis noſtræ Myſterio. Alii miranda vident quæ Deus non deſignavit, alii non vident quæ Deus aperte dixit: alii — alii —— alii——& hi omnes aliqualem habent prætenſionum ſuarum rationem, verba tamen Scripturæ unde pretenſiones hauriunt, totidem non ſunt quot diverſæ prætenſiones.*

Ita etiam, ſed multò luctuoſiùs ſe res habet in aliis Religionis noſtræ *Myſteriis*, imò in *Doctrinis*, quæ Religionem ſonant, non ſpectant; dum per phantaſticos & litigioſos, non aſſeruntur tantum ſed propugnantur; nec tanto animi quam animoſitatis acumine diſputantur; ipſæ interim ita agitatæ doctrinæ, nihil aliud revera ſunt, quam nubes lucidæ, curioſitate otioſa ortæ, &c.

Præſulis

Præſulis tanti hypotypoſi ſuppoſitionem adjiciamus, otioſos iſtos diverſas ſuas ſententias ita deamâſſe, ut non Verbis tantum ſed Pugnis contenderent; ſed intervenientem Ruſticum ſe interpoſuiſſe, hortantem ne ſe tantundem de re tantillâ commoverent, ſed lumine potius nudo uterentur fruerentur: nonne tam Rationi quam Uſui magis conveniſſet iſta hortandi ſimplicitas, quam illa diſputandi ſagacitas? Hoc agunt & B. *Paulus* & ab eo edocti *Latitudinarii. Quæſtiones inanes* ille proſcripſit, hi *devitant, gnari illas lites generare: Jeſum & Reſurrectionem* adæquatum *Fidei Chriſtianæ* objectum agnoſcentes, eoque lumine gaudia & greſſus ſuos dirigentes.

*ercitum cum vexillis ſe vidiſſe & bellum portendi dicunt; alius autem ſociis argutior, ait ovium gregem manifeſte repræſentari, & copiam indicari. Ipſa interim nil aliud quam nubes lucida, per mobilitatem propriam & venti activitatem in figuram fortuitam & informam redacta,*

*Ita ſe habet in magno hoc Religionis noſtræ Myſterio. Alii miranda vident quæ Deus non deſignavit, alii non vident quæ Deus aperte dixit : alii — alii — alii —— & hi omnes aliqualem habent prætenſionum ſuarum rationem, verba tamen Scripturæ unde pretenſiones hauriunt, totidem non ſunt quot diverſæ prætenſiones.*

Ita etiam, ſed multò luctuoſiùs ſe res habet in aliis Religionis noſtræ *Myſteriis*, imò in *Doctrinis*, quæ Religionem ſonant, non ſpectant; dum per phantaſticos & litigioſos, non aſſeruntur tantum ſed propugnantur ; nec tanto animi quam animoſitatis acumine diſputantur; ipſæ interim ita agitatæ doctrinæ, nihil aliud revera ſunt, quam nubes lucidæ, curioſitate otioſa ortæ, &c.

Præſulis

Præſulis tanti hypotypoſi ſuppoſitionem adjiciamus, otioſos iſtos diverſas ſuas ſententias ita deamâſſe, ut non Verbis tantum ſed Pugnis contenderent; ſed intervenientem Ruſticum ſe interpoſuiſſe, hortantem ne ſe tantundem de re tantillâ commoverent, ſed lumine potius nudo uterentur fruerentur: nonne tam Rationi quam Uſui magis conveniſſet iſta hortandi ſimplicitas, quam illa diſputandi ſagacitas?

Hoc agunt & B. *Paulus* & ab eo edocti *Latitudinarii*. *Quæſtiones inanes* ille proſcripſit, hi *devitant, gnari illas lites generare: Jeſum & Reſurrectionem* adæquatum *Fidei Chriſtianæ* objectum agnoſcentes, eoque lumine gaudia & greſſus ſuos dirigentes.

APPEN-

*Vi*

O

ja
*pie*
*sua*
pl
&

cu
cl
di
ne
vo

# APPENDIX.

*Vindiciæ Libertatis in Fide Christiana, Ecclesiæ Anglicanæ*, & Arthuri Bury, *contra calumnias & ineptias* Petri Jurieu, *Theologiæ & Malignitatis Professoris.*

QUAM latè se extendere Fidei Christianæ *Libertas* possit, *Caritas* debeat, dictum esto: jam quousque procedere possit ea *Sapientia* quam *B. Jacobus Terrenam, Sensualem, Dæmoniacam* denunciat, exemplo suo commonstrat *P. Jurieu, S.* T. & Malignitatis Diabolicæ Professor.

Non equidem adeò Jurieuizo, ut sicut ille unius Episcopi acta, toti Ecclesiæ; ita ego unius Theologi maledicentiam, toti Sectæ imputem: imò nec magni *Grotii* verbis sine lenitivâ voce [*Fermè*] assentior. *Melancthonis*

 (inquit

(inquit, experientia edoctus) *Discipulos fermè invenias mites & lenes; contrà,* Calvini, *asperos, & tales qualem deum esse imaginantur in maximam partem generis humani; tantùm refert quo utaris magistro.*

De qualibet hominum *specie* (fateor) vel *benè* vel *cautè* loquendum: non ergo æquè audacter *Melancthonis* cum *Calvini* discipulis, ac *M. Jurieu* cum *B. Paulo* compono. Docet scilicet * *in Christo Jesu nihil valere præterquam Fidem per Amorem operantem. M. Jurieu Fidem* suam per *Odium* operari profitetur: & illo saltem dicto veracem fuisse, demonstrat totus liber, Malignitati magis quam Sectæ suæ dicatus.

Quum enim per quingentas amplius paginas, sine Methodo, sine Scopo, sine Argumento, se volutâsset; tandem partis tertiæ formali hoc exordio, se nihil egisse pene confitetur.

*Principium* (inquit) M. Saurin & *omnium Latitudinariorum, Ratio humana, hodie*

* *Gal.* 5. 6.

*hodie dicta Recta Ratio , ſupremus eſt judex Controverſiarum , & principium Fidei immediatum. Tria de hoc Principio facienda ſunt, Primò oſtendam illud Falſum eſſe, Sacræ Scripturæ, Revelationi, & Sanctæ de Gratia doctrinæ contrarium. Secundò, eſſe* M. Saurini *& omnium Latitudinariorum. Tertiò, oſtendendæ terribiles & infallibiles conſequentiæ, &c.*

Miſelle *Saurin* quomodo te contrà iſta tria defendes? Imò, contrà primum è tribus? ſcilicet Sclopetum quatuor glandibus oneratum? 1. *Falſum,* 2. *Sacræ Scripturæ.* 3. *Revelationi,* (ne enim neſcias, alias à Scriptis Revelationes habet.) 4. *Sanctæ de Gratia doctrinæ* (quæ aliquid ſuprà *Scripturas* continet) *contrarium.*

At excute metum! *Jurieu* eſt qui minatur, & Sclopetum exploſum: Sic enim procedit,

*Ex his primum* (terribili ſcilicet illâ quaternione gravidum) *in opere noſtro pro defenſione* Theologiæ Calvinianæ *& omnium Reformatorum de* principio *Fidei peractum eſt.*

Idem semper *Jurieu! Primò*, (inquit) *ostendam*; & mox, *Primum in opere nostro alio peractum est*.

Siccine verò quingentarum & decem paginarum tædium compensandum! Ad bibliopolam suum relegandi sumus, ut librum, nobis inauditum, nec à cordato quopiam evolvendum, consulamus? Ego verò malim (pro hac vice) dicto ejus fidem adhibere, summam illius libri recitanti.

*Ibi* (inquit) *probavi per consensum unanimem omnium Theologorum veterum & neotericorum, & probationes numerosas, à Scriptura extractas*, (quid?

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?)

*Fidem per Spiritum Sanctum immediatè produci; Rationem Humanam, utcunque Rectam, principium fidei dici non posse: Fidei fontem non esse in Rationum evidentiis, sed in operatione Spiritûs Sancti, & in Gratia per se victrice & efficace, &c.*

Vah,

Vah, partum montis ridiculum, *Enthusiasmum!* Eundem; Spiritum (*Sanctum* dicere non audeo) h. e. eundem animi *Impetum*, eandem *Gratiam*, h. e. eandem *Confidentiam*, jactant, hinc *M. Jurieu*, illinc *M. Saurin*; *Spiritúmne dei* æque sibi contradicere credemus, ac *M. Jurieu*? Ego sanè *Spiritûs Sancti* dictatis absoluta fide acquiesco. Illum autem audivimus *B. Pauli* manu scripsisse *duo tantum necessario credenda, *Jesum & Resurrectionem*; Eadem manu *Timotheum & Titum* (Episcopos, ideoque congruos, si uspiam congrui, controversiarum arbitros) monuit, ut quæstiones, non Studio, sed Fugâ determinent. Ne autem erremus, dum *stultas & inanes* proscribit; non isto charactere Alias ab aliis distinguit, sed Omnibus hoc commune *Stigma* inurit. nam 1 *Tim.* 6. 3, 4, 5. *Quæstiones* simpliciter & indefinitè, tam Infidelitatis quam aliorum omnium Scelerum reos agit, & Atheismum huic unicæ origini acceptum refert. Quid

* *Rom.* 10 9.

Quid jam ais Monsieur? Nunquid erravit *B. Paulus*, cum † *existimavit se habere Spiritum Dei?* An *Spiritus*, ille *Sanctus*, magis & sæpius sibi repugnat, quam tu tibi? Hoc autem necessariò fecerit, si quoties inanis aliqua quæstio agitatur, toties de eis, quos à tribunali abigendas enunciavit, Sententiam non tantùm Ferat, sed & operatione efficace Exequatur. Quod ut probetur primum fuit hujus Authoris faciendum, dudum (ut jactitat) factum.

Secundum fuit, ostendere *Saurini* dogma illud esse, quod refutandum suscipit: hoc autem more suo probat: nempe, scriptis Doctoris *Noel*, quem commercium cum *Saurino* habuisse, neutiquam vel constat, vel insinuatur.

Tertio loco (at in intentione primo) ostensurum se promittit *horribiles & infallibiles Consequentias*, &c.

At *Consequentias* ab *Antecedentibus* deducere, *Rationis* proprium est. Antiquum

† 1 *Cor.* 7.

tiquum ergo hic etiam obtinet, homo ſibi ubique repugnans. Probandum ſcilicet, *Rationem* dirimendis controverſiis imparem eſſe: & hanc ipſam controverſiam per *Rationem* dirimere ſatagit. Si jam *Ratione* prævaleat, Dogma ſibi ſuum evertit, quo illam non ſufficere profitetur: Si non valeat, ſibi ipſi dicam impingit, dum ad illum judicem *Ratione* appellat, quem *Dogmate* recuſat.

At hic ridere utcunque *Juſtum*, minimè *Tempeſtivum*. *Horribiles certè conſequentiæ* alium Spiritum flagitant; maximè ubi *Apoſtolo* impinguntur Calumniæ *Conſequentiis* pares. B. *Paulum Latitudinarium* fuiſſe, è dictis patet, pluribus ſi opus fuerit, probatu promptum. Dum ergo hic dicit illius dictata *fidei Chriſtianæ ſubverſiva eſſe, &c.* nonne illum, qui ea non tantùm categoricè *Affirmat*, ſed frequenter & ſtudioſè *inculcat*, iſtarum *Conſequentiarum* authorem, & æque cum illis horrendum affirmat?

Expectandæ essent ab homine jam Rationem præ se ferente, probationes materiæ ponderi pares, Doctrinarum periclitantium gravitas, Periculi inevitabilitas, &c. Aliquid saltem alicujus momenti; Apostoli tum Authoritati, tum Argumentis opponendum.

Ista quidem ab alio quovis authore expectanda, nostro autem cum Ratione eadem quæ olim Diogeni cum fortuna lis, at non eadem secum constantia: Dum enim ejus auxilium advocat, illi renunciat; & *Angliam* petit, ut inde accersat, non Rationem, sed Exemplum: Sed illi *Ecclesiæ* dum Calumniam contrariam impingit, *Paulo* impactam non diluit, sed duplicat; & se non minus bonâ fide, quam Ratione destitui demonstrat.

*Tertio scilicet loco*, se *horribiles & inevitabiles Latitudinismi Consequentias* demonstraturum pollicetur: at unde & quomodo eas deducit? Ex unico unius Episcopi actu, totius *Ecclesiæ* sententiam; è re Sæculari, Religionis statum comprobat: unum virum probum atrocissimis Calumniis onerat; & ex

ex hac paralogiſmorum & calumniarum colluvie, Concluſionem promiſſam deducit, viz. *Latitudinariæ religionis conſequentias terribiles eſſe & infallibiles.*

Hoc Argumentum, ut Rationi & Veritati adaptemus *Conſequentiarum* terribilium aſpectus à *Religione* ad ejus *Profeſſores* convertendus; & hoc ordine infallibiles erunt Conſequentiæ, aliter claudæ. Si tibi conſulas, cave Latitudinarius ne ſis, ſaltem ne appareas; nos enim *odio in illam Sectam adeò flagramus*, ut omnes captemus eos opprimendi opportunitates, nec vel modum vel finem contumeliarum & perſecutionum admittimus Exemplo ſit *Arthurus Bury* Collegii in Univerſitate *Oxonienſi* nuper *Præfectus*, & S. Theologiæ Profeſſor, nominis integer; quamprimum autem *Latitudinariæ* hæreſis manifeſtus fuit, *Epiſcopi*, *Academiæ*, & noſtro *Orthodoxorum*, odio afflatus; loco, dignitate, & nominis decore multatus, nulli jam uſui inſervit, niſi ut alios commonefaciat, nè eidem ſcopulo impingant.

Hac

Hac vel nullâ Ratione ab hoc exemplo deducendæ *terribiles Conſequentiæ*, Ratione ſcilicet adeò dilectâ, ut ad ultimum locum inter triarios reſervetur. Tormentis bellicis *Philippi Secundi Hiſpaniarum* Regis apud turrim *Londinenſem* captivis, fuſione ſuperſcriptum legitur *Ratio ultima Regum.* Hac Ratione *Latitudinarios* ſuos *Belgas* refutare conatus, Rex ille potentiſſimus, Regem eorum *ultimum* ſe effecit.

Æque terribiles erant *Calviniſmi* conſequentiæ, Ratione illa ultima *Philippi* Regis, ac jam ſunt *Latitudiſmi* ratione *Authoris noſtri*; non autem (ut ille calumniatur) *Eccleſiæ Anglicanæ.*

*Melius* (inquit) *indicium ſtatus Eccleſiæ Anglicanæ obtineri non poteſt, quam Oxonii Acta, &c.*

Nullúmne *melius Eccleſiæ ſtatûs indicium* quam unius Epiſcopi una actio, eaque à re Eccleſiaſticâ aliena? nullaſne habet *Eccleſia* illa *Conſtitutiones* lege ſtabilitas?

*Liturgiam* certè habet, inque eâ formam à miniſtro in *ægrotorum viſitatione* obſervandam. Ille recitato *Symbolo Apoſtolico*

*ſtolico*, ægrotumpercontatus *an illa credat?* Reſpondentem *ſe omnia illa firmiter credere*, poſt factam peccatorum confeſſionem, abſolvere jubetur.

In eâdem Liturgia habetur *Catechiſmus*, ab omnibus ante *Confirmationem* ediſcendus. Inibi recitato eodem *Symbolo*, Interrogat *Catechiſta*, *In his fidei tuæ articulis quid maximè credis?* Reſpondet *Catechumenus*, *Primò diſco credere in Deum Patrem, qui me & totum mundum fecit: Secundò, in Deum Filium qui me & totum humanum genus redemit: Tertiò, in Deum Spiritum Sanctum, qui me & totum electum Dei populum ſanctificat.*

Quis jam dubitat eam eſſe hujus *Eccleſiæ* ſententiam, ut ſufficiat illius *Symboli* fides ad credentis ſalutem, cum illam profitenti *abſolutionem* omnium peccatorum concedat? Et in *Sanctæ Trinitatis doctrinâ*, illa Latitudo, qua liberum cuique relinquatur, velitne *Sabellio*, *Ario*, an *Athanaſio* conſentire?

Habet ſane Eccleſia illa Fidei ſuæ *Confeſſionem* ampliorem, ad *Articulos* triginta novem extenſam. At hic diſtinguenda

ſtinguenda ſunt *Perſonæ*, *Tempus*, & *Circumſtantiæ*.

*Perſonæ*, quibus hos Articulos ſubſcribere incumbit, non ſunt niſi ſacrorum *Ordinum* vel graduum *Academicorum* candidati.

*Tempus*, quo formati ſunt Articuli, crepuſculum illud fuit, quo è tenebris denſiſſimis emerſit orbis Chriſtianus & quo neceſſaria fuit aliqua Chriſtianæ Religionis Explicatio; hinc ipſis *Clericis*, id temporis ne *Literatis* quidem, nedum *Theologis*; illinc, *Adverſariis*, ne totam Religionem explodi clamitarent.

Iſta qui ritè perpenderit *melius* certè *ſtatus Eccleſiæ Anglicanæ indicium obtinebit*, quam ea quæ jactitat *M. Jurieu* Oxonii acta.

At ille forſan indicium ſuum non à *Legibus*, ſed *Praxi* petit. Spectet ergo & ringatur, conceſſam diſſentientibus Tolerantiam, permiſſam typographis libertatem; imò * ſpectet à ſe maximè ſpectan-

* *A Letter to a Convocation-Man.*

ſpectandum libellum nuperrimè editum, ſibi & maximè *oppoſitum* & maximè *honorificum*: maximè *honorificum*, quia illum unicum eo honore dignatur, ut ejus non tantum *opinionem* laudet, ſed ipſa *verba* recitet: at maxime *oppoſitum*, quia *Eccleſiæ* ſtatum non *jactat*, ſed *gemit*.

Habet ſanè *Anglia moloſſos* ſuos etiam Eccleſiaſticos, ſed edentatos; qui *Diſſentientes*, cum mordere nequeant oblatrant, & ipſi Regi obmurmurant: è quibus unus & *Jurieuo* & *Epiſcopo Exonienſe* abblanditur.

" Probus (inquit) apud *Hollandos*
" *Theologus* non multùm erravit, qui
" eâ occaſione ſex circiter annis retrò
" actis, de eis & nobis fatus eſt. *Ea*
" *propter addam quod Eccleſia Anglicana,*
" *quæ Reformationis noſtræ pars illuſtriſ-*
" *ſima eſt, aliquid nobis ad ædificationem*
" *noſtram debet. Abſit ut Accuſationibus*
" *eo nomine illi intentatis fidem adhibea-*
" *mus; ſed conſideratâ confidentiâ, qua U-*
" *niverſalis Illimitatæ tolerantiæ ciſmarini*
" *advocati illam ejuſdem opinionis accuſant;*
" *aſſumenda eſt audacia dicendi publicam*

" &

" *& aliqualiter ſolennem earum renuncia-*
" *tionem renuere illam non debere, ut*
" *eas calumnias refutet.*

Hoc jam ab *Epiſcopo Exonienſi* factum, itagloriatur *M. Jurieu*, ac ſi ſuo monitu, tota *Eccleſia* ſolenniter *Tolerantiæ* renunciâſſet: At hujus *Epiſtolæ Author* verbis immediatè ſequentibus frigidam ſuffundit; & ipſius *Jurieui* auſpiciis, Synodi *Gallonicæ* exemplo, *Anglos* ad æmulationem ita provocat, ut *Convocationis* defectum queratur, neceſſitatem urgeat.

Sic eodem zelo, & eâdem infælicitate, *Anglus ab Hollandis*, *Hollandus ab Anglis*, exemplum & ſubſidium nequicquam petentes, alter alteri & *aſſentitur* & *contradicit* : & raro paralogiſmorum concurſu, ab eodem actu, nec Publico nec Eccleſiaſtico, ejuſdem *Eccleſiæ* ſtatum hic *plorat*, ille *plaudit*.

Bifronti paralogiſmo bifrons reſpondet dictum; contrario enim gloſſemate, non quidem Rationem ſed Veritatem aliqualem illi impertit Epiſtola.

*Unicus*

*Unicus* (inquit) *occurrit Præſul, qui cum iſtis hominibus in arenam deſcendere auſus eſt, juxta antiquam familiæ ſuæ fortitudinem, & zelum pro Dei & Eccleſiæ ejus honore, qui characteris ejus adeo confirmata & critica pars eſt, &c.*

*Zeli* iſtius aliundè petenda ſunt indicia; *Fortitudinem* familiæ illius celeberrimam eſſe lubens agnoſco, etiamnum in fratribus ejus conſpicuam; at in ipſo eminentiſſimam mirabitur quiſquis *Leges* noſtras cum illius *Actis* conferet.

Ab Antecedente *Conſequentiam* alienam inferre in republicâ *Logicâ* primæ magnitudinis crimen eſt, ſed non niſi deriſu luendum: nec aliud inde periculum vel *Jurieuo* vel *Epiſtolæ Autori* imminet: Sin *Epiſcopus* litem *Sæcularem*, *Excommunicatione* vindicet, graviſſimam pœnam (*Præmunire* apud *Anglos* audit) omnium bonorum confiſcationis, & perpetuæ inſuper incarcerationis incurrit. Non ergo æquanda ne in ſuâ quidem familiâ, hujus Epiſcopi fortitudo, ſe regis arbitrio ſubjicientis, & iram majore *Contumacia* provo-

provocantis, quam ipſe in Rectore vindicavit.

Nec enim hic ſubſiſtit *Fortitudo:* Queſti apud Curiam Regiam *Excommunicati Rector & Capellanus* (auditâ ſolenniter causâ) mandatum obtinuerunt, ut *Excommunicationem* irritam & injuſtam revocaret Epiſcopus; cui tamen ille adeo non obtemperavit, ut ſub eâ *Capellanum* eouſque detinuerit, dum quam libuit ſubmiſſionem ei extorſiſſet: quo facto, in perpetuam rei memoriam fortia hæc ſua acta, Collegii archivis inſerenda curavit: Rector autem, à juriſperitis edoctus, *Preſbyterum qui Abſolutionem* publicaverit, eidem cum *Excommunicante* pœnæ obnoxium fore, *brutum fulmen* perferre mavult, quam inſontem quempiam tanto periculo objicere.

De *Excommunicatione* iſtâ, cum apud *M. Jurieu* æque altum occurrat ſilentium, ac de *Rectoris ſceleribus* apud *Epiſtolæ Authorem*; videtur nec *Epiſcopum*, illam inde laudem aucupatum, qua eum cumulat Epiſtola; nec *Rectorem* eorum ſcelerum reum fuiſſe,

quibus

quibus eam onerat *M. Jurien:* ſed hunc, Epiſcopi acta ideo celebrâſſe, ut ejuſdem ſecum Collegii quondam alumnum, celebraret; illum, ideo totum librum (non dico concinnâſſe ſed) compaginâſſe, ut inviſum (licet ignotum) Latitudinarium calumniis confoderet: hunc *Melancthonis*, illum *Calvini* diſcipulum: Utrique ſuo more reſpondere conabor; huic, *leniter* & obiter; illi, aſperiùs & ex animo. *Epiſtola*, (pauculis de *Hæreſium* incremento præfatis) hoc agit, ut *Convocationis Eccleſiaſticæ Jura & Privilegia tueatur. Juriſperitorum dictata, Regium Juramentum, Magnam Cartam, &c.* totus crepat: & totam molem huic fundamento ſuperſtruit, p. 19. *Eccleſia Societas eſt; in ordine ad finem ſupernaturalem inſtituta; & qua talis inhærentem obtinet poteſtatem, ſe in ordine ad illum finem gubernandi. In hac Societate Ordo Hominum diſtinctus, particulariter authorizatus & qualificatus, ad docendum, inſtruendum, & gubernandum totum corpus, in relatione ad finem, &c.*

Ut

Ut blandiſſimè agam, concedo. 1. *Eccleſiam* Societatem eſſe à Laicis diſtinctam. 2. *Convocationem Eccleſiaſticam*, licet ne tertia quidem parte à Clero parochiali electam, eſſe tamen *Eccleſiæ Repræſentativam*. 3. *Eccleſiæ* quatenus *Societati*, in membra ſua jus eſſe legibus definitum.

At quam Epiſtola flagitat, *Dubia explicandi, Conſequentias deducendi*, & *Obedientiam exigendi*, poteſtatem; penes *Convocationem* noſtram, eſſe imò *Eccleſiam* illam *Catholicam*, tam accuratè ſæpi- in pulpitis noſtris memoratam, h. e. *Congregationem omnium populorum Chriſtianorum per totum orbem terrarum diſperſam*; hoc enimvero credere nequaquam poſſum.

1. Ipſi * *Apoſtoli* penes ſe non eſſe denunciarunt *in populi Fidem Dominium*; quod tamen in hoc Poſtulato includi docent & Ratio & Experientia! Leges interpretandi poteſtas Legiſlativæ par eſt, & Conſequentiarum deductio,

* 2 Cor. 1. 24.

ductio, eſt novarum Legum Inſtitutio.

Quis jam hujus poteſtatis terminus? Qui *Abſolutum* in Rege dominium non ferunt, in *Convocatione Eccleſiaſtica* ægrè tolerabunt.

2. *Precaria* eſt illa poteſtas. Quæro enim: Eſtne à *Deo an Hominibus?* Ab *Initio*, an *Nupera?* Si à Deo & Nupera, quo Nuncio? quibus Signis? ubi Loci? quando Temporis, cælitùs donata? Sin ab Initio & perpetua fuerit; tum eo etiam ſæculo, quo *Romanum* jugum excuſſerunt patres noſtri, *Convocationi* Fidem & Obedientiam debitam detrahentes, non tam Errorum *Reformatores* erant, quam in Gubernatores *Rebelles*; ac author noſter dum *Convocationis* præſentis Jus obtendit, Schiſma damnat.

3. *Convocatio* propoſito operi & *Impar* & *Inimica*. *Nunc, ſi unquam* (ait Epiſtola) *à Chriſtianitate hoc in regno ſtabilitâ, neceſſaria eſt Convocatio; cum aperta adeo in opinionibus & moribus licentia, Religionis & Sacerdotii contemptus adeo fixus ubique dominetur, cum*

 *omne*

*omne genus Hæreses, Scepticismus, Deismus, imò ipse Atheismus, &c.*

Heu! quantò latiùs *Malum* istud, quam hoc *Remedium!* Malis istis inter *Laicos* dominantibus, quid aliud conferet *Convocatio Ecclesiastica*, præter fomitem? *Contemptum* certè sui non tollit, sed auget quisquis Impotentiam cum Impatientia conjunxerit. Sæculum nacti sumus Liberum & Sagax; & pileo donati, dominorum nec jussa nec minas tanti æstimant, sed *Convocationis Consulta* sannis excipient, opinandi libertatis tenaces.

*Jura, Privilegia, Jurisdictio*, cum *Papali*, unde pendebant authoritate, antiquata; frustrà jam eis Legibus fulciuntur, quæ nec ipsæ eis sæculis liberæ erant. Dum *in ordine ad Spiritualia* omnia Regna Romanæ *Ecclesiæ Provincialia* erant; *Convocatio* Parliamenti *Æmula*, & partim *Domina*, ea sibi jura vendicavit, quæ non Populi tantum, sed ipsius etiam Ecclesiæ Libertatem sustulerunt. Cum autem jam, non tantum per pristinam *Pontificiæ* potentiæ abrogationem, sed per nuperam

nuperam Legem, concessa sit Dissentientibus *Tolerantia*, quis huic Legi congruam æstimaverit, eam Convocationis Ecclesiasticæ potestatem, quæ concessam Tolerantiam irritam reddet?

*Limitatam* agnoscimus *Tolerantiam* illam, nec *Illimitatam* postulamus Fidei *Libertatem*; at quæ *Scripturæ Sacræ* ad *Salutem* sufficere denunciârunt, quidni sufficient ad *Pacem?* eis præsertim, qui Provinciam suam *futuræ* tantum *vitæ salutem* spectare profitentur?

*Perturbationes Pacis*, omnibus ferè sæculis adeò frequentes & atroces, qui dogmatum varietati acceptas referunt, ipsum *M. Jurieu* audiant, suprà, & in ipso hujus operis frontispicio citatum; tum demum veracem, cum falsam Ecclesiæ ideam in tertio sæculo introductam, tot funestarum divisionum productricem affirmaret

Istis aliisque malis *Convocationem* Ecclesiasticam, antidotum maximè specificum esse, quis negaverit, modò *Pacificam*, & primævæ *Caritatis* fotricem; Ecclesiæ, primævam suam ideam, e-

jusque pomæriis justam & pristinam amplitudinem restituentem.

Plurimos esse, eosque pios & probos, qui in *Fide* consentientes, in *Liturgia* tamen cum *Ecclesia* communicare nequeunt, utinam non patêret. Quid jam Caritati maximè congruum? & quibus auxiliis tollentur offendicula? Certè, *nunc si unquam à Christianitate hoc in regno stablitâ*, necessaria Convocatio, sed Benevola: At inter primas ab inauguratione, regis optimi curas fuit, ad opus Religiosissimum *Convocationem* invitare. Et *Episcopi* quidem (juxta promissam in rebus dubiis benignitatem) promptos se exhibuerunt: Sed probè novit Epistolæ hujus Author, qui fuerint, qui omnem boni fructus spem eâ voce præciderit, quæ *Angliæ leges*, quas ipsa Liturgiæ Præfatio mutabiles (ne dicam mutandas) denunciat; dum mutare se nolle profiterentur, eápse voce in immutabiles, ab *Anglicis* in *Medicas* & *Persicas commutârunt*.

Inde

Inde deſperatum eſt à Convocatione remedium: aliorſum jam ſpectant pacificorum vota, & bellis externis ceſſantibus, interna diſſidia ab aliis medicis ſanata fore augurantur. Quærimoniis interim de inutilibus è longinquo itineribus, locum poſthac non fore veroſimile eſt, cum *Archiepiſcopi* literis circularibus iſti moleſtiæ præcaveatur.

Breviter, Dominante authoritate *Pontificiâ*, Convocatio Eccleſiaſtica eis juribus pollebat, quæ iſti tyrannidi inſervierunt. Iſto excuſſo jugo, nullis legibus fulcita, ideo è priſtina conſuetudine cum Parliamentis aſſociata, quod ſubſidia regibus largiora præberet: Jam, Laicis una cum Eccleſiaſticis indiſtinctim taxatis, cùm tolerantiæ & paci non conducere, ſed obſtare pateat, nec alios niſi amaros fructus producendo ſit; quis dixerit Regem ulteriùs juramento obligari, quam ut *jura* illa quæ Epiſtola Eccleſiæ fundamentalia profitetur, viz. *Inſtruendi, Docendi & Gubernandi, cum relatione ad animarum ſalutem*, intemerata conſervet,

debita interim aliis libertate conservata?

Imò, hoc inter indulgentias regias numerandum, quod odium populare ulteriùs provocandi occasiones præcîdat. Certè, siqua Proverbio Italico fides,

*Gl' imperi malveduti non sono gran tempo ritinuti,*

Ecclesiæ nil perniciosius, quam importuna in liberos jam animos Austeritas.

EPistolæ sufficiant ista: Ad illum redeo qui *terribiles Latitudinariæ Religionis consequentias*, argumento æq; à Veritate ac Ratione alieno, comprobare præ se ferens, malignitatem trucissimam atrocissimis Calumniis exercet.

Gloriatur *M. Jurieu, se ab Episcopo Exoniensi missis contra* Arthurum Bury *Collegii Exoniensis Rectorem processibus honoratum:* quem ille honorem ita rependit, ut libro disertim edito, ratiocinandi legibus fœdissimè violatis, malignitate

lignitate Dæmonica apertiſſimè proditâ, penes Lectorem relinquat, utrum ſibi an Epiſcopo *fortiſſimè calumniandi* palma debeatur.

Gloriam illam inter ſe ut volent dividant; Ego ad ipſius *Epiſcopi* & *Collegii Exonienſis* Archiva, de rei veritate provoco; imò ad ipſam *Epiſcopi ſententiam* hac formâ conceptam.

*Arthurum Bury, S.T.P. Rectorem dicti Collegii Exonienſis, propter ejus manifeſtam & multiplicem Contumaciam, & circumſtantiis variis aggravatam, in non ſubmittendo ſe viſitationi noſtræ ordinariæ, ſed contumaciter ſe abſentantem (quod repetundarum & criminum aliorum enormium, coram nobis detectorum & probatorum, imò hæreſis metu feciſſe videtur) officio Rectoris dicti Collegii Exonienſis, &c.*

Sententiam iſtam an æque juſtè in linguam ſuam Gallicam, ac rem *Sæcularem* in *Eccleſiaſticam*, tranſtulerit *M. Jurieu*; ex ipſis verbis invicem collatis conſtabit. Sic enim *Jurieu*,

* *Invenit Collegii Rectorem nomine* Arthurum Bury, *moribus & opinionibus corruptissimum: convictus est Rapinæ, Doli mali, vendidisse omnia domûs officia, impuritatis, adulterii, & tandem Hæresis.*

Ista vera sint necne, quid Religione *Latitudinariâ* refert? Imò, quo propriùs illa ad veritatem accedunt, eò longiùs argumentum à *Ratione* errat; At nobis jam incumbit, authorem istum non *Rationis* tantùm, sed *Caritatis*, imò *Humanitatis* hostem demonstrare.

Sententiæ Episcopalis phaleræ, parenthesi inclusæ, cum totam contineant *Rectoris* Nequitiam, in totum prætermittendæ non sunt, sed breviter diluendæ.

*Crimina alia enormia* diluit *Socrat. Historicus* lib. 2. cap. 18. *Est hoc Episcopis in more positum, ut eos qui abdicantur*

* *Il trouva que le Recteur, nomme* Arth. Bury, *estoit corrompu de cœur & d'esprit, autant, qu'on le peut être. il fut convaincu, de vol, de friponnerie, d'avoir vendu tous les offices de la maison, d'impureté, d'adulteré, & en fin d'hæresie.*

*tur accuſent, impios pronuncient, cauſas tamen impietatis minimè adjungant.*

De *Repetundis* quod inſinuatur, crimen non eſſe, ipſa *Collegii Statuta*, & Rectorum præcedentium Praxis teſtantur. In hoc ſolum hic ab illis differt, quod pecunias acceptas ſibi non retinuerit, ſed Collegio ædificiis ampliando impenderit, addito inſuper è ſuis plus quam duplo, ut è depoſitionibus patet. Cujuſmodi *Repetundarum* reus ne ſit, cavebit qui illis ædificiis fruitur.

*De Hæreſi* ſententiam *Epiſcopi* decreto *Univerſitatis* confirmatam gloriatur *M. Jurieu.* De utroque judicet eruditus Lector. Res autem illa ita ſe habuit.

*Artium Magiſtri*, per nuperam diſciplinæ Academicæ laxitatem effrænes, indignati quenquam ex ordine ſuo, ſupplicio affectum ; ne ulteriùs procederet licentiæ ſuæ cohibendæ periculum, anſam ab *Epiſcopi viſitatione* oblatam arripuerunt, & *Vicecancellarium* tumultuantes adegere ut illud *Decretum* fieri curaret, cujus jam pœnitere

(ſi modo Pœnitere ſit à Peccando deſiſtere) ideo certum eſt, quia à *Rege* leniter moniti ſunt, illorum non eſſe de *Hæreſi judicare*.

Affulſit revera aliqualis *Viſitatori* ſpes, *Rectorem* Statutorum vi privandi, idque ob idem delictum quod in *Colmero* vindicaverat. Accuſavit illum famuli cum *Colmero* expulſi filia, attentatæ pudicitiæ ſuæ; nec occaſioni defuit Viſitator.

Quam Accuſatrix teſtem advocavit Ancillam, & poſt illam quotquot viſum eſt examinavit: ſed omnem operam ſuam, omnium unanimi Rectoris defenſione, irritam inveniens; ipſo *Sententiæ Silentio* illum abſolvit. Quiſquis enim criminationes inanes objectantem, ſufficientem illam (modo veram) ſilere velle exiſtimaverit; næ, ille *Viſitatorem Stultitiæ*, æque ac *Rectorem Incontinentiæ* inſimulaverit.

Conferantur jam omnia; *Viſitator* irâ flagrans, *Collegii Socios* partibus ſuis addictos, & favoris captatores, per annos viginti ſex Rectoris morum quoti-

quotidianos teſtes; ad illum accuſandum per ſcrutinium invitat, nec minimam labeculam invenit. Utinam *M. Jurieu* iſtiuſmodi *ordealem ignem* illæſus pertranſire poſſit, in primo certè calumniæ ſuæ articulo, ſe purgare neutiquam poteſt, *animo & mente crruptiſſimus*.

*B. Jacobum* appello, qui *cap.* 3. *v.* 13. ait, *Si zelum amarum & contentionem habeatis in corde veſtro, nolite gloriari, & contra veritatem mentiri: non eſt hæc Sapientia cæleſtis; ſed Terrena, Senſualis, Dæmonica.* En *Jurieuum in effigie ſuſpenſum!* Gloriatur ille, *ſe odio in Latitudinarios ſemper flagrâſſe, odium* iſtud *zeli* prætextu cohoneſtat, & cœleſtem gloriatur: *Jacobus* è diametro, ab inferis procedere denunciat. Sit jam Rector omnibus eis criminibus inquinatus, quibus illum onerat *Jurieu*; *Terrenum* quidem & *Senſualem*, neutiquam autem *Dæmoniacum* reddent: *Odium* autem, ut Vocis *Satan* in aliam linguam, ita *Naturæ Satanicæ* in Hominem tranſlatio eſt: Et quicquid *Diaboli* voce vel inſinuatur, *Calumniatori* maximè

maximè debetur. *Accuſator*, coram tribunali *Accuſato* criminis diluendi locum præbet: At *Calumniatori* cum *Homicidâ* commune eſt, non poſſe ablatum reſtituere.

Cum hac *Animi* corruptione conjungitur ſumma *Mentis* corruptio.

Malim ego *Mahumetanam*, imò *Paganam*, imò *Nullam Religionem*; quam illam, quæ *Deum* exhibet, optimos ſuos & ſinceriſſimos cultores, ob errores leviculos & involuntarios, æternis ſuppliciis addicentem. Malim atrociſſimas in *Fratrem*, quam ipſum *Deum* calumnias. *Deus* (inquit) *me deſtinavit Latitudinariorum odii objectum eſſe.* Rogo jam, Eſtne *Odium* illud *Meritum* an *Immeritum*? Si *Meritum*, tum *Deus* illum deſtinavit, ad ea agenda, quæ odio merito habenda ſunt: Si *Immeritum*, tum *Deus Odium*, quatenus *Odium* deſtinavit: quod (horreſco inferens) *Satanicum* eſt.

Nec horridum iſtud *Dilemma* effugerit, ſi dixerit Deum *Orthodoxiam* directè deſtinâſſe, *Odium* autem non niſi per *Conſequentiam*. Iſtam enim *Conſequentiam*

*ſequentiam*, & *B. Jacobus* & *Res ipſa* negant; cum ille doceat, hæc demonſtret, eò differre *Sapientiam Cœleſtem* à *Dæmoniaca*, quod illa *lenis & pacifica ſit*.

Utcunq; autem ſæpiùs vera ſit *Grotii* obſervatio, *Calvini* dogmata Aſperos efficere; aliquando tamen bona naturæ indoles, malignitati *Antidotum* præbet. At ipſum *Deum calumniari*, Conſequentias infert, non *Accidentales*, ſed æque *Inevitabiles* ac *Horribiles*.

Si enim *Jeſus & Reſurrectionis* fidem ad ſalutem ſufficere; in aliis, *quæſtiones inanes devitandas*, ore *Pauli* denunciârit Deus; fideliſſimos tamen *Chriſti* ſervos, in *quæſtionibus inanibus* ſincerè errantes, æternis ſuppliciis puniat; nonne hoc fuerit animis laqueos tendere, ut utrinque capiantur, hinc *Simplicitati*, inde *Veritati* ſtudentes?

Si jam *Chriſtus* Judæorum, benefica Dei opera *Dæmoni* aſcribentium, *peccatum irremiſſibile* denunciârit; quid de eis judicandum, qui *Dæmonis* malignitatem *Deo* optimo imputant?

Neſcio

Nescio equidem quomodo *terribilem Consequentiam* effugere possint, nisi *malignitatem* illam in se recipiant; confitentes, se illos odio habere quos Deus diligit: Tu autem *anima mea in eorum secreta intare noli.*

ISTA quidem non *Rectorem* solum, sed totum *Christianum* genus spectant. Quæ sequuntur, non tam *Jurieui Calumnias*, quàm *Episcopi Sententiam*, spectantia, cum privatam *Rectoris*, vel Defensionem vel Excusationem offerant, penes Lectorem erit vel perlegere vel negligere: Veram autem totius rei historiolam exhibebo, ad *Archiva* iterum atque iterum provocans.

Statutis Collegii *Exoniensis* Visitator constituitur *Episcopus Exoniensis*, limitata potestate Visitandi *de quinquennio in quinquennium*, per triduum.

*Rector, cum Subrectore, Decano, & quinque Scholaribus* maximè senioribus, omnium in Collegio querelarum arbitri, socios certorum criminum convictos expellere, & omnes Jura Collegii pro virili defendere tenentur. Quilibet

libet Socius in Societatem admittendus, juramento ſe obligat, nolle reſtitutionem ullis modis quærere, ſi ab eis expellatur qui ea in re intereſſe habent.

Illi, *Jacobum Colmerum*, Incontinentiæ convictum expellunt, is ad *Viſitatorem* appellat; qui nuperrimè ad eam dignitatem evectus, cum Statuta conſulendi occaſionem non haberet, ſuppoſito Collegii Socium eorum peritum eſſe; Rectorem & Seniores ad ſe evocat, illi ſe excuſant; inde orta inter Viſitatorem & Collegium, hinc de *Juriſdictione* aſſerendâ, inde de *Privilegiis* defendendis lis. Viſitator, primò per Commiſſarium, poſtea per ſeipſum, ad Collegium accedit: Rector & Sociorum pars major, ſub ſigillo communi proteſtantur, ſe illi Viſitationi ſecundæ ſubmittere ſibi non licere. Viſitator, petitione Reginæ in Concilio oblatâ, de contemptu queritur, orans ut Rector & Socii, ejus rationem reddant, & pœnas luant: causâ ſolenniter auditâ, dimittuntur accuſati. Tertiò ad Collegium accedit Viſitator, & eâdem repetitâ

repetitâ Proteſtatione excipitur: Omnes cum Rectore proteſtantes (h. e. majorem Sociorum partem) *ab officio & beneficio* per ſpatium trimeſtre ſuſpendit; & ſibi conſcius, Rectorem ſine quatuor è ſenioribus conſenſu amovendum non eſſe; illis ſuſpenſis qui revera ſeniores erant, aſſumptis aliis, Rectorem privat, & eis qui ſe ſubmiſerunt, h. e. minori parte, ut illi ſucceſſorem eligant, præcipit.

Rector privatus, & Socii ſuſpenſi ad Concilium Regium, è Viſitatoris exemplo, confugiunt, & literas ad reſponſionem citatorias obtinent; ille, neglectis Literis, ad Curiam Legalem cauſam transfert, à tribus è quatuor Judicibus abſolvitur Rector: ab illâ etiam Curiâ, ad Proceres in Parliamento appellat Viſitator, ab eis revocatur judicum ſententia; non è cauſæ merito, ſed defectu authoritatis in curiâ quæ illam ſententiam dederat: Sic, raro infortunio, ideo causâ cecidit Rector, quod errarit qui illum in jus traxit.

Nonnullis

Nec tamen dubitatum, quin coram *Rege* utpote Viſitatore ſupremo lis pendeat. Illic ſemper determinatæ lites Academicæ, illuc Viſitator ipſe appellaverat, illuc Reſponſionem ſuam afferre juſſus eſt. Si jam ii, quos *Prærogativam Regiam* tueri ſpectat, Viſitatoris *Ordinarii* in *Supremum* Contumaciam, non Indemnem ſolùm ſed Victricem velint; Officiolo ſuo cedere mavult Rector, quàm eas inter anguſtias verſari, ut quoties effrænis aliquis deliquerit, toties ambigendum habeat, utrum delicta impunita prætermittendo, an Collegii privilegia Viſitatoris arbitrio ſubjiciendo, violanda ſint, quibus tenetur (quia ſe teneri judicat) Juramenta.

Iſtæ demum ſunt, quas tantopere minitatur *M. Jurieu, Latitudinariæ Religionis Conſequentiæ*: Abſit ut multis ea *Terribilia* videantur quæ Chriſtus *Lætiſſima* denunciavit, *Perſecutionem, Contumelias, & omnimodas Maledicentias Mendaces, ſui & Juſtitiæ causâ, perpeti.*

Nec

Matt. 5. 10, &c.

Nec alios ſpectat periculum iſtud, præterquam *Collegiorum in Academiis Præfectos*; eouſque tutos, dum utrinq; odium in ſe conflare cavent, hinc Morum Licentiam cohibentes, inde Fidei Libertatem aſſerentes.

*Melius* interim *Eccleſiæ Anglicanæ* imminentis *ſtatus indicium obtineri non poteſt*, quam apud Academias *quotidie acta*: Ibi Educationem percipiunt *Nobiles*, inde per univerſum regnum diſperguntur *Eccleſiaſtici*: Si ergo per duorum nuperorum Regum vel exempla vel incuriam, adeo laxatæ ſint diſciplinæ habenæ, ut Junioribus Statuta Academica, imò Præcepta Divina *violare*, quam Præfectis ea vindicare, tutius ſit: ingruenti Licentiæ ſufflamen à gubernatoribus adhibendum, ſiquis negaverit, Rectorem iſtum intempeſtivè rigidum, officio ſuo jure privatum cenſeat: ille interim triſtem ſeveritatis ſuæ comprobationem deprecans, eam ſibi benedictionem gratulatur, quàm Chriſtus mala omnia juſtitiæ causâ ſubeuntibus promiſit.

Concluſio.

# CONCLUSIO.

QUin relictis in arena monomachis, inſtructas utrinq; copias,& utriuſq; partis Conſequentias curſim & quaſi è longinquo luſtremus. Spectari autem poſſunt vel in *Radice*, vel in *Fructibus*.

*Radix* omnimodæ vel Pietatis vel Impietatis eſt *Divinæ Perfectionis Ambitio*, hinc Perverſa, inde Congrua: Impius Perfectiones Dei *Monarchicas*, Pius *Communicabiles* anhelat. Ambitioſus Majeſtate, Avarus Omniſufficientia, Superbus Celſitudine, Curioſus Scientiâ, alii aliis, at omnes aliqua perfectione ad aliqualem divinitatem aſpirant.

*Chriſtum* voluit *Socinus* Creationis authorem eſſe, ſed *Novæ* tantùm: & hanc quidem veteri aliquoties accommodat B. *Paulus*: nominatim 1 *Cor.* 11. 3. De *Adami* fato pro Corinthiis metuit, *Evam*, *Serpentem*, *ſciendi pruriginem* agnoſcit, ipſe etiam Dei nomine arbore *ſcientiæ* interdicit, ſed eodem ſucceſſu. *Gnoſtici* enim ſe inſi-

nuantes, & *Apoſtolos* æmulantes, ut diſcipulos ad ſe pellicerent, *Simplicitatem* tanquam Nuditatem animi contempſerunt, ſcientias arcanas, & Myſteria ſublimia jactitarunt, diſcipulos Apoſtolorum, alios ad ſe alliciunt, alios perſequuntur. *Apoſtolus*, & hic & ſæpe alias, ut *Novam Creationem* à *Serpentium* iſtorum aſtutiis conſervaret, ad perfectionum Dei *Communicabilium* ambitionem excitat. Eph. 4. 23. *Renovemini in Spiritu mentis vestræ, & novum hominem induamini, qui creatur ſecundum Deum in Juſtitia & Sanctitate veritatis.* Ne malâ vocis interpretatione decipiamur, huc referenda ſunt, quæ harmonica Epiſtola ad *Coloſſenſes* ſcripſit. Coloſſ. 3. 10. *Induamini novum hominem, renovatum* ( εἰς ἐπίγνωσιν ) *ad Agnitionem ſecundùm imaginem creantis : Coloſſenſes* ſcilicet monet ; ut id *agnoſcant*, quod *Epheſio*: noſſe ſupponit, imaginem Dei in libidinum abjectiòne, & vera morum Sanctitate conſiſtere. Et rei jam noſtræ accommodatiſſimè B. *Johannes*, 1 *Jo*. 4. 8. *Qui non amot Deum ignorat, quia Deus*

*Deus amor est.* Hæc & similia per Apostolos sparsim, scripta Christi ovium characteri inserviunt, *Ex hoc dignoscent omnes vos discipulos meos esse, si vos mutuò diligatis.* En jam utriusque Religionis Radices!

Hinc vera *Dei Imago*, eis perfectionibus splendet, ad quas creatus est homo, & offuscata renovanda est, de qua B. *Jacobus*, *Sapientia Cœlestis primò Pura*, deinde *Pacifica*, &c.

Illinc *Originale Peccatum*, Monarchicæ Dei perfectionis ambitio. Torquentur scil. omnia Scripturæ Sacræ dicta, novæ formantur Doctrinæ; in qualibet doctrinâ multiplicantur Quæstiones quælibet Quæstio in Articulos dividitur, quilibet Articulus objectionibus oneratur; sic in nova creatione oritur arbor Scientiæ, multis ramificationibus distensa, at non à *Deo*, sed *Serpente* plantata, nec nisi surculis, incendiorum fomitibus fœta: Hæc enim in fasces (*Systemata* per Enantiosin dictas) colligata contentionum materiam præbent; eis qui omnia recta esse contendunt, *Orthodoxis* dictis; qui de aliquibus id negant, *Heterodoxis*; & ab

Ecclesia,

Ecclesia, non Paradisso, abigendis.

His Radicibus quinam oriantur *Fructus*, aspiciamus. Hi autem & *Homines & Deum* spectant.

De eis quæ *Homines* spectant consulendus est B. *Paulus* ad eosdem *Corinthios*, 1 *Cor*. 8. 1. *De Idolo oblatis, novimus nos omnes scientiam habere. Scientia inflat, at Caritas ædificat, &c.*

*Gnostici* scilicet, majoris *Scientiæ* prætextu, se & *Apostolis* prætulerunt, & Persecutionibus subtraxerunt: *nosse se Idolum nihil esse*, eoque Idolis sacrificantes nihil agere; at alios ea scientia destitutos, idem agentes, peccare jactitârunt. *Corinthii* ea de re *Apostolum* consulunt; respondet ille, *sibi etiam Scientiam esse*; eum autem qui *Scientiæ* ita confidit, ut *Caritatem* lædat: eapse illius defectum prodere; *qui autem Deum amat* perfecta Scientia pollere. *Scientia* (inquit) *inflat*, at *Caritas ædificat*.

*Animum* procari supponit *Rivales, Elevationem* utrinque promittentes, sed modo longè diverso: *Scientiam* eo modo *Animum* elevare quo *Carnem Tumor*

*Caritatem*

*Caritatem,* eo quo *Cæmentum Ædificium.*

*Carnem* autem elevat *Tumor,* vel per ardoris *Excessum,* vel ejusdem *Defectum.*

1. *Ardoris Excessu* tumet *Ulcus.* Apostema Sanguinem extravasatum denotat, cujus particulæ heterogeneæ, per fermentationem æstuantes turgent; & carnem majore Rubore floridam, Pulsu robustam, Complexione nitidam, Magnitudine grandem efficere videtur: interim tamen, & ei quod possidet, & aliis quibus assidet membris, imò toti corpori dolorem infert, & tandem in Corruptione desinit. Sic, quod *Augustus* de infami sua *Julia,* idem *Apostolus* de pseudo-orthodoxia dicere videtur, *Familiæ nostræ vomica est.*

Imò, hoc testatur ipse *Jurieu, Tertio sæculo nova Ecclesiæ ejusque unionis idea* solutam primævam continuitatem, & doctrinarum minuscularum fermentatione, Tot ortas contentiones queritur, addo & *Tantas:* In diverbium enim abiit *Odium Theologicum:* In Exemplum cedat *Jurieuanum.*

*Apostemata*

*Apostemata* interim, de dolore quem inferunt queruntur: nihil apud illos detestabilius quam *Hæreticus*, qui ipsi omnium *Hæreticissimi* sunt: eodem modo tractandi, quo *Apostemata*: Medici scilicet, ubi medicamenta sua dissipando humori morbifico non sufficere experti sunt, ab operâ irritâ desistentes, naturam ad suppurationem procedere permittunt. Eodem ritu *Apostolus* cum *Hæreticis* agi præcipit *Tit.* 3. 9, 10. *Stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones, & lites legales fuge, sunt enim inutiles & inanes. Hominem Hæreticum post unam & alteram monitionem devita: gnarus talem perversum esse, & peccat, ut sui damnator.* Hac unicâ vice in Sacra Scriptura occurrit vox *Hæreticus*; hinc *curiositate*, illinc *contentione* stipatus, & conscientiâ propriâ damnatus. Hinc ergo petenda & mensuranda *Pravitas Hæretica*: non est Error simplex, non est cum aliis eodem Errore implicatis consensus; sed de quæstionibus leviculis, grave dissidium, *Caritatis* Contemptus, *Scientiæ* prohibitæ studium; cum

cum hujus interim *Levitas*, illius *Pondus* ipſum latêre nequeat: Eoque quilibet *Fidelis*, cum *Auguſtino* audacter profiteri & poſſit, & debeat, *Errare poſſum, Hæreticus eſſe nolo:* & in eos contumeliam retorquere, injuſtiſſimè viris pacificis impactam; quos inviſis pellibus obtectos, ferinis odiis & dilaniant & dilaniandos aliis proponunt, cum ſibi debeatur illud non dico Odium ſed Nomen.

2. Alter tumendi modus eſt *Hydropicus*; Ubi viſcere aliquo, vel oppilato vel corrupto, labaſcunt functiones vitales: pro *Sanguine* ſpirituoſo fit *Ichor* vapidus, torpidus, putidus; qui circulationi ineptus, & ſtagnans, membra Mole quidem auget, ſed Uſu privat, & Morti præludit.

Huc ſpectant quæ *Timotheum* monet *B. Paulus* 1 *Tim.* 6. ubi duos exhibet characteres, Fidei Sanæ unum, Tumoris Hydropici alium.

Verſu tertio id afferlt, imò ter inculcat, quod nos ſupra diximus, Fidem ideo inter Virtutes Numerari, imò Eminere, quòd omnes promoveat.

 Siquis

*Siquis* (inquit) *aliter doceat, nec ad ſana domini Jeſu Chriſti verba accedat, & doctrinam quæ eſt ſecundùm pietatem.* Forſan hic *verba Domini* celebrat, non in *Genere* tantum, ſed *Particulatim* ea quibus ſe animarum *Medicum* profitetur, *ægrotis ſanandis adventantem*, Matt. 9. 12. & de eis queritur *qui ad eum non accedunt ut vitam habeant.* Jo. 5. 40. Certè eâdem & Allegoriâ & Voce, Apoſtolus hic eum reprehendit qui non προσέρχεται *accedit ad Verba Sana*, & *Doctrinam quæ Pietati congrua eſt.* h. e. *Evangelium*, quod hoc maximè agit, ut ad Pietatem peccatores convertat, ídque Promiſſis, Comminationibus, Præceptis, Hortamentis, omne genus modis annititur.

Verſu quarto huic verbo ſalutifero hydropem ſpiritualem opponit, *Intumuit, nihil ſciens, ſed νοσῶν circa quæſtiones & logomachias, à quibus oritur Invidia, Contentio, Blaſphemiæ, Suſpiciones malæ Diſputationes perverſæ hominum mente corruptorum, & à veritate deficientium, exiſtimantium pietatem lucrum*

*crum*

*crum esse, ab ejusmodi hominibus te averte.*

Maximè hic observandum, ita hunc *Tumorem* illi *Doctrinæ* opponi, ut non Certissima tantum, sed Adæquata ejus pernicies videatur. Quod enim *Corinthios*, 2 *Cor*. 4. 4. de *mundi hujus Deo* docuerat, *neminem latêre Evangelium nisi perditos, quibus ille oculos occæcaverat*; idem hic de *Gnosticis* dicit; ne autem sibi contradicere videatur, illud notat quod experientia comprobat, eos qui Scientiæ studium præ se ferunt, animo tamen Lucri amore teneri.

Tandem, ut repetitæ sæpiùs monitiones altiùs animo *Timothei* insideant, Epistolam eâdem cautione claudit. *O Timothee depositum custodi, fugiens anilia inaniloquia, & oppositiones scientiæ, falsò sic dictæ; Quam nonnulli professi, de Fide errârunt. Gratia tecum. Amen.*

Nequis hic erret, Non ita Scientiæ detrahimus ut Ignorantiam dicamus devotionis matrem, sed Fidei Simplicitatem tam Ignorantiæ quàm Gno-

ſticitati opponimus: Hinc *Depoſitum* ſtudiosè conſervandum, inde *Scientiam* non merito ſed falsò ſic dictam contemnendam. Hoc monentem videmus Apoſtolum, hoc comprobant & Ratio & Experientia.

Finitum eſſe Cor Humanum dictat *Ratio*, eoque quantum partium ſtudio datur, tantum Pietati detrahi: Et ſuffragatur omnium ſæculorum *Experientia*, eodem gradu Frigere tam Pietatem in Deum, quam Caritatem in Fratres, quo fervent Theologorum diſputationes: Animis utroque Tumore occupatis.

At longè aliter animum evehere *Caritatem* docet *Apoſtolus*, *Caritas* enim *Ædificat*, *Cæmentum* ſcilicet officiosâ ſuâ mollitie, omnium generum & figurarum lapides arctiſſimis amplexibus ſecum & cum aliis ita conjungit, ut à mutua & inſeparabili unione *Totum ædificium harmonicè compactum creſcit ad Templum Sanctum in Domino.* Eph. 2. 21.

Hanc

Hanc tamen Allegoriam capite destitui advertens, aliunde supplet *Eph.* 4. 15. *Veritatem in amore colentes, augeamur erga eum in omnibus qui caput est Christus. A quo totum corpus co-aptatum & compactum per supplementum cujusque artus, secundùm efficaciam in Mensura cujusque partis, incrementum corporis fit ad Ædificationem ejus in Amore.* Eâdem etiam Allegoriâ *Colossenses* à curiositate dehortatur. *Col.* 2. 18. *Nequis in ea intrudat quæ non vidit, inaniter elatus animo carnali, & Caput non tenens, à quo Corpus totum per artus & ligamenta sustentatum & compactum incremento Dei crescit.*

Utrum hac an illâ *Alegoriâ* magis delectatus sit *Apostolus*, non æquè patet, ac utriusque ad *Caritatem Scientiæ* præferendam Utilitas.

Et fæliciter aliquandiu processit *Ædificium*, dum tandem præ nimio *Mysteriositatis* studio, facta linguarum confusione plusquam *Babelicâ*, operarii ne sua quidem ipsorum, nedum alii aliorum verba intelligerent. Inter cæteras, voces *Hæresis* & *Hæreticus* inter

ſe confuſæ, genuino ſenſu privatæ ſunt.

*Hæreſin* ſcilicet in Sacrâ Scripturâ non damnari ſuprà obſervavimus, & eandem nominis integritatem eouſque conſervavit, dum per Theologorum contentiones, deficiente caritate dehiſceret fabrica.

Hoc ex * Epiſtola *Conſtantini*, ad *Chreſtum Syracuſorum* Epiſcopum data, patet. Ibi enim ipſa Religio Chriſtiana, reſpectu ad totum genus humanum habito, *Hæreſis Catholica*, & mox *Sanctiſſima Hæreſis* nuncupatur.

At ſæculis ſubſequenribus, gliſcente inter partes, præſertim *Arianam* & *Orthodoxam*, odio; cum ſe mutuis contumeliis lacerarent, utrinque *Hæraticos* appellitârunt: jamque per vocum Cognationem, factâ Confuſione, Dogmate diſſentientes, quantumcunque pacifici, *Hæretici* dicebantur: tandem Inquiſitione è latebris extrahuntur, Hæreſis non tantum Manifeſti, ſed Suſpecti; & inversâ

* *Socrat. Hiſtor.* lib. 10, cap. 5.

versâ genuinâ vocis ſignificatione, *Hæretici* dicuntur qui perſecutionem non Inferunt, ſed Ferunt.

Iſta ſi *Ædificationi*, quanto magis *Corpori* incongrua! Diverſas in Eccleſiâ *Hæreſes*, totidem eſſe in *Corpore Membra*; utcunque vel ſitu diſtantia, vel figuris diverſa, vel aliter diſſimilia; eiſdem tamen artuum junἀuris, & ſeparata & connexa, dum ab eodem capite pendent; Corpus derivatâ inde communi vitâ, non diſtrahi, ſed *augeri ad ſui ædificationem in amore*, duplici jam *Allegoriâ* docet *Apoſtolus*, vult ipſe caput *Chriſtus*, flagitat rerum *Natura*, & aliquandiu effecit Primæva *Caritas*.

Illud enim erat Eccleſiæ incrementum, ut ſe in ampliſſimas regiones quaqua verſùm dilataret, ulterius ſemper extenſura, ni illa ipſa Proſperitas, à *Simplicitate* primùm, deinde à *Caritate* animos corrupiſſet. Piget pudendas quarti primùm, deinde ſubſequentium ſæculorum contentiones, piget tot amœniſſimas & ampliſſimas regiones, per *Mahometiſmum*, cætera ridiculum, ſolâ Diſputacitatis prohibitione proſperum, à *Chriſtianitate* avulſas, memoràſſe. Nolo triſti ſpectaculo immorari, nolo truncatæ tot membris Eccleſiæ, hodiernas etiam contentiones contemplari: Iſtæ tamen ſunt amari zeli *terribiles Conſequentiæ!*

Aliæ in ipſum *Deum* immediatè feruntur

Originali,

Originalis res abditas rimandi prurigo, in animi fœtus indulgentia, ambitio, &c. leves animas ita corrumpunt, ut eas maximè spectet *Davidicum* illud, *Improbè cōgitâsti me tibi similem esse*: mox se, tantò Deo gratiores imaginantur, quantò magis tales sunt, qualem illum esse existimant, & flammas infernales à cœlo incensas putant.

Hæc adeò graphicè depinxit *Jacobus* ut mirari subeat, posse quenquam deformitatem pulchritudini, malitiam benignitati, inferna cœlestibus, Satanam Deo præferre. Utrumque proponit *Jac* 3. 13, *&c. Quis inter vos sapiens & discretus? ostendat è bona conversatione opera sua in lenitate Sapientiæ. Sin zelum amarum & contentionem in corde vestro habeatis, nolite gloriari & mentiri contra veritatem. Non est hæc sapientia desuper veniens, sed terrena, sensualis, dæmoniaca. Ubi enim zelus & contentio, ibi dissidium & omne opus malum. Superna autem sapientia, primùm pura est, deinde pacifica, lenis, facilis, plena misericordiæ, & fructuum bonorum, sine partium studio & hypocrisi. Fructus autem justitiæ in pace seritur eis qui pacem faciunt.* Faxit Deus uberem messem, & pacificis benedicat!

*FINIS.*



---

Errata obvia Lectori corrigenda relinquimus: at *p.* 131. *lin. ult.* lege, *gnari eandem animam eandem qominem, utcunque mutato corpore, consistere.*

in
ves
pe-
*me*
io-
nt,
nas
.
ut
ta-
in-
re,
*uis*
*na*
*iæ.*
*ve-*
*ra*
*ve-*
*Ibi*
*ne*
*ri-*
*is,*
*ne*
*m*
*nt.*
cis
*m*